GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [1] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

Randnoten von

G. W. Leibniz.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

IANI CÆCILII FREY

MENS.

Hic

Prima humanæ sapientiæ Fundamenta

AXIOMATA

ASTRVVNTVR,
NEGANTVR DISTINGVVNTVR.




JENÆ,

Apud HENNINGIUM BRANDESIUM.
ANNO M. DC. LXXXIX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [5] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

NOBILISSIMO ET ILLVSTRISSIMO VIRO.

MATTHIÆ DE VERTEMA, CÆSARIS AVGVSTI FERDINANDI CONSILIARIO, & ad Regem Christianiss. Oratori.

RARUM *est hæreditariam illustrium Majorum virtutem à posteris longiùs latiúsque propagari: quod Heroum etiam filios à patrio confestim degenerare genere nimis quàm frequenter videamus. Tu tamen,* VIR ILLUSTRIS, *ex antiquissimæ nobilitatis, nobilissimarumque virtutum Maioribus, apud* CAESARES *ob præclamm*

claram difficillimis temporibus consilio, re, ope, operam nauatam notissimis natus splendorem auitum, egregiè aucto virtutum insigniorum comitatu, quoquoversum longiús latiusque diffundes. Hinc est, quòd ob eloquentiam, linguarumque diuersitatem, ob consiliorum prudentiam, & in rebus agendis vigilantiam felicitatemqúe, ob animi magnitudinem, & constantiam; & CAESAR INVICTUS AUGUSTUS ad Christianissimum Regem te miserit ORATOREM: & te REX RVPIVM EVERSOR, OCEANI DOMITOR susspiciat, & EGO tanto talique Patriæ Lumini, Humanæ Sapientiæ primigenium Lumen seu MENTEM AXIOMATA lubens merito dem, dicem, dedicemque.

IANVS CAECILIUS FREY.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [8] - 4
PUBLIC DOMAIN

Εἰς τ̃ν τε καὶ τὰ ἀξιώματα Ιάνυ Καικιλίυ Φρείυ τ̃ φιλοσοφούντων δαδούχυ.

Ε'ΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Ἄκρον τ̃ης ψυχ̃ης ὀνόμα διὰ πάντα περᾶται
Πάντα νοεῖ, πάντων αἴτιος ἐρέβεννος.
Οὐδὲν ἔφυ ποιεῖν καλὸν δίχα νοῦ τε λόγου τε,
Χαῖρε Φρεῖε σοφῶν Ἄνθος ἀεὶ δεσπόρον.
Γνώμας παγκάλλους Φάσεις, τε καὶ ἄξια ῥητά
Γράψας τ̃νομ' ἔχεις ἄφθιτον εἰν σοφίη.

Δεκάστιχον ad eundem.

MENS *animi fax eſt illuſtrans omnia: libra eſt*
Qua quidquid dubium eſt æquato examine lancis

Pondent, & vera à falsis distinguit, vt aurum,
Aut Lydio lapide aut rutilo spectatur in ignis.
Decreta hæc Sophiæ & Veri fundamina prima
Quis omnis recto perstat conclusio talo
Eia age FREYE *decus sapientum, & gloria prima*
Castalidum, dulces hausisti è fonte liquores.
Perge vt cœpisti cunctis accendere lumen.
Sic iter ad doctos doctus monstrabis Athenas.

P. VALENS Pr. Reg.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [10] - 6
PUBLIC DOMAIN

MENS
SEV
HABITVS
AXIOMATUM.

PROLEGOMENA,

In quibus potissimùm opera nostra, & instituti ratio.

MENS siue intellectus significat primò facultatem spiritalem, per quam absque discursu & ratione intelligimus prima rerum omnium, & omnis cognitionis discursiuæ principia: quæ facultas omni homini naturalis est.

Secundò significat habitum animæ

noſtræ comparatum, vel per diſciplinam doctrinamque vel per inuentionem noſtram : quo habitu principia rerum omnium, & præſertim cognitionis cognoſcimus absque errore, absque ratione, & abſque diſcurſu.

Talis habitus non eſt nobis naturalis aut congenitus. Probatur. Homo rerum omnium ignarus naſcitur, & eſt anima noſtra velut tabula raſa, nullum habitum habemus, nec verum, nec falſum, nec bonum nec malum : Sed Mens eſt habitus principiorum intelligendorum certus & verus, ex 6. Moral. & alibi : ergo non eſt naturalis.

Mens ſic deſcribitur. Eſt cognitio certa & euidens principiorum absque diſcurſu : ideoque obiectum huius habitus ſunt principia ſiue axiomata. Iſte autem habitus eſt propriiſſimè ſcientia, imò magis, quam alia ſcientia. Probatur ex Ariſtotele in Poſterioribus Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale. Sed in aliis

liis scientiis conclusiones scimus propter maiorem & minorem, quæ sunt principia & axiomata : Ergo magis ipsa axiomata scimus. Obiectum sunt axiomata, siue Autopista, i. Dignitates, & quæ per se ita credibilia sunt, & quæ digna sunt, quibus absque vlla ratione credamus, & sunt infallibilia: Vel, vt in Topicis dicitur, sunt Postulata, i. quæ à quocunque postulare possumus vt ea concedat.

Necessitas autem huius habitus & axiomatum hinc constat Primò, Omnes partes Pholosophiæ, siue habitus, doctrinâ acquiruntur scilicet sapientia, scientia, prudentia, & artes. Cùm igitur Mens sit habitus philosophicus, mirum est quòd hodie ferè à nemine doceatur. Secundò, non habemus à natura cognitionem axiomatum, aliàs haberemus species aliquas congenitas quemadmodum & angeli. Hoc autem apud Christianos & Philosophos falsum est.

Respondent Metaphysicam esse

habitum principiorum. Nos naturaliter scire axiomata, v. gr. Omne totum est maius sua parte : Item, Duo bona sunt præstantiora quàm vnum ex ipsis, Omnes hoc naturaliter nouerunt, vt asserunt.

Errant. Nam Metaphysica cùm sit vna non potest esse duplex habitus oppositus. alias monstrum esset: sicut si homo constaret ex humanitate & belluina, natura monstrum esset. Sed Mens & Sapientia, siue Mataphysica sunt species oppositæ : ergo Sapientia non est mens.

Deinde errant. Nam si naturaliter cognosceremus, non opus esset habitu. Pretereà, qui visu caret, naturaliter is non cognoscit hoc principium, Lumen est visibile: Albedo disgregat visum, nigredo congregat, &c. Ergo naturaliter anima nostra non cognoscit principia. Tertiò, si naturaliter cognosceremus quorsum tam multi negarent principia? quorsum opus esset explicatione? quorsum tot di-

stin-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [14] - 10
PUBLIC DOMAIN

ſtinctionibus? Dicunt; contra negantem principia non eſſe diſputandum. Sed hoc falſum eſt, ex 1. Phyſicorum: & qui habitum habet principiorum, contra negantem principia diſputare poteſt. Tandem & hoc obiter dicam non eſt verum, quod omne totum ſit maius ſuâ parte; nec enim homo maior eſt quàm ſuum corpus, vt inf. explicabitur. Nec eſt verum, quod duo bona ſint præſtantiora vno bono, ex Ariſt. in Topic.

Nomine Principii intelligitur vel principium ſimplex ſiue incomplexum omnium rerum, & tranſcendens quod in omni re reperitur, verb. grat. eſſentia, exiſtentia, entitas, quia in omni re ſunt, vocantur principia rei ſiue ſimplicia: vel per principium intelligitur complexum ſiue propoſitiones indubitatæ veritatis, ſiue principium per quod alia cognoſcimus, ideſt, per q od cognoſcimus principia ſimplicia omnium rerum, v. gr. aliquid eſt vel non eſt, hoc eſt princi-

pium complexum cognitionis omnium rerum.

Principia complexa vel sunt particularia & propria cuiuscunque scientiæ & artis, v. gr. in Medicina principium particulare est, Contraria contrariis curantur.

De his principiis particularibus non tractatur in Mente. *Alia sunt* principia de primis omnium rerum principiis incomplexis, quæ sunt communia omnibus scientiis, v. gr. Res aliqua vel est, vel non est; vel communia pluribus scientiis, vt, Si auferas æqualia ab æqualibus, æqualia remanent.

De his postremis igitur *institui* tractare noua, & nostra, nec hactenus aut à me, aut ab alio vnquam tractata methodo. Quod facile est videre legenti eos qui omnes hactenus sine ordine & methodo conati de illis scribere, vt Zimara, Venerab. Beda, Bondus, Capucinus quidam, & Germanus nescio quis, & alii.

Sed

Sed quæstio est, vtrum sint tales propositiones quas vocant alii *famosas*, quæ per se credi debeant, & per se cognoscantur sine discursu, & sine vlla ratione & causa, sive quarum nulla sit ratio? Respondeo, necessariò talia esse axiomata.

Probatur primò: Quemadmodum visus quædam videt per aliquod medium, sive per aliquid aliud, quædam autem videt sine medio: vt videmus colores per lumen, id, est priùs oportet videre lumen, & postea mediante lumine videmus colores: Sed lumen ipsum per se videmus, nec opus est alio *lumine* ad lumen Solis videndum, quia hoc est per se clarissimum. Sic intellectus quædam per aliud sive per medium, sive per causam & discursum intelligit, v. gr. conclusiones per maiorem & minorem: quædam verò immediatè intelligit, sc. axiomata clarissima tanquam Solis lumen.

Probatur secundò. Vel aliquid pos-

ſumus ſcire, vel non. Si nil cognoſcimus, fruſtrà Deus dedit deſiderium quo omnes homines naturaliter ſcire deſiderant, Si ergo aliquid cognoſcimus, vel cognoſcimus tantùm per alias propoſitiones, ſcilicet eo modo quo concluſiones per maiorem &minorem intelligimus; vel non per alias. Si ergo omne quod cognoſcimus per aliud cognoſcimus, i. per aliam propoſitionem, ſequitur vnum ex iſtis quatuor: Vel enim nihil ſciemus, vel dabitur reminiſcentia Platonica, vel reſponſio ſophiſtica: vel dabitur circulus, quam omnia abſurdiſſima ſunt. Probatur primum. Si propoſitionem quam ſcio, per aliam propoſitionem cognoſco, & hanc iterum per aliam, & hanc aliam iterum per aliam, & hanc aliam iterum per aliam, erit progreſſus in infinitum, & nunquam deueniemus ad principium, ſi tale principium iterum per aliud debeat cognoſci: vel nihil ſciemus vnquam. Sicut enim nulla eſt deambulatio

latio si nullum sit principium deambulationis, ita nulla erit cognitio si nullum sit principium cognitionis. Probatur secundùm, scilicet sequi reminiscentiam Platonicam. Nam cùm Plato ad prædictum argumentum, non posset respondere, & negaret axiomata, dixit animas nostras initio mundi creatas, fuisse omnibus scientiis instructas, & iam in corpore nostro nihil de nouo discere, sed tantùm reminisci. Sed hoc & est contra fidem nostram, & contra omnem Philosophiam, cùm nascamur rerum omnium ignari; nec dubitationem soluit. Probatur tertium, sequi sophisticam responsionem. Cùm enim Sophistæ dicerent nos nullam propositionem vniuersalem cognoscere, sed tantùm singularem, si aliquis ab ipsis petiisset nouisset ne omnem numerum binarium esse parem; respondissent se non nouisse, sed se tantùm scire eum numerum binarium esse parem quem vidissent. Hoc autem est ineptum. Proba-

Probatur quartum. Si cognoscere-mus conclusionem per maiorem & minorem, & iterùm cognoscerемus maiorem per conclusionem & mino-rem, i. probaremus maiorem per conclusionem, daretur circulus, quod est ineptum. Nam vt visus colorem videt per lumen clarius, non autem videt lumen per colorem, quia color non est clarior lumine: ita intelligi-mus conclusionem per axioma cla-rius, non autem axioma intelligimus per conclusionem minùs claram.

Obiicies. Multi non credunt axio-mata: ergo probatione indigent. Re-spondeo. Possunt negari ab aliquo qui non potest soluere obiectionem factam contra axioma: quomodo Ze-no negavit motum. Secundò, possunt nagari ab eo qui non habet experien-tiam, vt qui nunquam esset expertus ignem calefacere. Tertiò, possunt ne-gari ab eo qui sensu caret. Sic cæcus negat lumen esse visibile. Quartò, ab eo qui ratione caret. Sic lumen stul-

tus

tus negat esse Deum. Quintò, ab eo qui habet debilem intellectum. Sicut enim noctua non potest intueri Solem clarissimum, ita intellectus quæ clarissima sunt sæpe non intelligit. Sextò, propter apparentiam negare possunt, quia non semper id bonum est quod bonum apparet; ita non semper verum est quod verum apparet. Septimò, quemadmodum spiritus vini, i. aqua vitæ, licèt sit præstantior quàm ipsum vinum, à paucis tamen gustari potest. Ita licèt principia sint clarissima, â paucis tamen solitaria intelligi possunt.

Objicies: Axiomata possunt probari per inductionem, ex 6. Mor. ergo non sunt clarissima. Respondeo: Inductio fit per singularia quæ sensu cognoscuntur. Ideò fatemur cognitionem axiomatum supponere cognitionem sensitivam. Deinde singularia non sunt vniuersalium, nec enim ideò homo est risibilis, quòd Petrus sit risibilis.

Tan-

Tandem ſingularia diſcentibus ſunt notiora, ſed hominibus doctis vniuerſalia axiomata ſunt notiora.

Sed quomodo diſputandum eſt contra negantem axiomata? Reſpondeo per inductionem; Vt, ſi quis neget totum eſſe maius parte, inductione probandum eſt 2. Senſu; vt ſiquis neget ignem eſſe calidum, ad moveatur igni, & fatebitur. 3. Redargutione, 1. Ex proprio reſponſo negantis, v. gr. negas, totum eſſe maius parte, & vis, v. gr. emere panem pro aſſe, ego tibi tantùm dabo fruſtulum; tu verò petes integrum panem, non aliâ ratione quàm quod panis maior ſit quàm fruſtulum. Item aliquis negat panem eſſe panem, cùm famelicus erit, dabo ipſi lapidem, certè is accipiet panem, non lapidem, non aliâ ratione quàm quòd putet lapidem non eſſe panem.

Ordo & methodus noſtra hæc eſt. Incipiemus à diuiſionibus rerum generaliſſimarum, & ſic procedendo de quo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [22] - 18
PUBLIC DOMAIN

quouis membro diuisionis, procedemus. verb. grat. Omne vel est ens vel non ens. Ens vel substantia, vel accidens, &c. Iam axiomata de ente vel non ente proferemus, & sic deinceps.

CAPVT I.

Axiomata de ente & non ente.

AXIOMA I

IMPOSSIBILE est idem esse & non esse *siue*, Omne vel est, vel non est, *siue*. Non potest idem affirmari & negari de eodem: *siue*, Inter ens & non ens non datur medium: *siue*, Inter duo contradictoria non est medium.

Hoc axioma verum est in particularibus entibus verb. grat. Homo est homo vel non est homo: Petrus vel est mortalis vel non mortalis. Sed vniuersaliter loquendo falsissimum est,

est, quia datur aliquid quod nec sit ens, nec non ens *siue* datur medium inter ens & non ens.

Primò datur medium exclusionis, id est, aliquid quod nec sit ens, nec nihil scilicet *Possibile*, v. gr. alter mundus possibilis non est ens, aliàs esset vel Deus, quod falsum est; vel creatura, quod etiam falsum est & tamen non est nihil. Probatur. Si possibile esset nihil, non esset distinctio inter possibile: verb. grat. Tres dii sunt nihil impossibile: aliter mundus est nihil possibile: ergo possibile est medium inter ens & non ens.

Secundò, datur medium inter ens & non ens participationis, i. aliquid quod essentialiter partim est ens, partim non ens Probatur *Priuatio*, v. gr. cæcitas non est nihil formaliter, aliàs idem esset cæcitas, quod non visio, & tamen lignum est non videns, non tamen est cæcum. Cæcitas ergo, seu alia priuatio est non ens in ente, i. essentialiter est non visio cum aptitudine

ne quæ est ens : Ergò privatio essentialiter est ens & non ens.

Tertiò, *Contradictio* est media inter ens & non ens, quia comprehendit ens & non ens. Nam contradictio comprehendit vnam propositionem veram, quæ est ens, aliam propositionem falsam, quæ est non est ergo contradictio essentialiter est ens & non ens. Et hæc est Philosophia Scoti.

Quartò. Aliquid est medium inter ens & non ens *eminenter* sc. Deus. Probo. Sicut Sol facit calorem, non tamen est formaliter calidus, sed eminenter. Ita Deus cùm fecerit omne ens, non tamen est ens formaliter, sed eminenter. Hæc est philosophia D. Dionysiii qui Deum non vocat ens, sed superens.

Quinto, est aliquid medium inter ens & non ens *apparentia*, i. respectu diuersorum vt, cibus aliquis respectu huius est dulcis, respectu illius non est dulcis Hæc est philophia Protageræ & Pyrrhonis. AXIO-

AXIOMA II.

ENS est, *siue*, ens est ens.

Hoc verum est secundùm definitionem & essentiam, vt Homo est animal rationale. Item : Homo est ab æterno secundùm essentiam. Sed non est verum secundùm existentiam: Nihil enim est, *siue*, nihil existit æternum præter Deum.

Non est verum identicè, vt, si dicam Homo est homo : nam nihil de alio prædicatur verè, nisi ipsi insit. Sed homo non ineſt homini . nec Petrus Petro : ergo Petrus non est Petrus : ergo ens non est ens.

Nec est verum absolutè, nam etiam nihil est siue existit, & nihil est nihil vt, cæcitas existat, & cæcitas est cæcitas.

Iterum non est verum in similibus: Homo est mortuus : Animal est combustum; nam sic dicitur quod ens sit non ens : Homo enim est ens ; si

nu-

autem est mortuus, est non ens: ergo ens est non ens.

Iterum non est verum formaliter cùm prædicatur proprium aut accidens de aliquo; nec enim homo est visibilis aut albus formaliter.

AXIOMA III.

OMNE ens est res.

Verum est hoc sensu: Ens habet essentiam *ratam* & fixiam, ideoque immutabilem: vt, Homo est animal rationale.

Non verum est quod talis essentia non possit in aliam converti, scil. vna substantia potest in aliam transsubstantiari: vt cùm in Eucharistia panis & vinum transsubstantiantur in corpus & sanguinem Christi, aut fœmina Loth in statuam salis. Vel per transaccidentationem, vt si Deus mutaret quantitatem in qualitatem.

AXIO-

AXIOMA IV.

OMNE ens est aliquid.

Id est, omne ens est aliud quid ab alia re formaliter & essentialiter.

Hinc secundùm essentiam nulla res qualis qualis sit, de alia prædicatur. Essentiæ autem debent abstractè sumi, & significantur per terminos terminantes ineas, vt humanitas animalitas, rationalitas. Igitur reverâ formaliter aliud rationalitas, animalitas, quàm homo, aut humanitas.

AXIOMA V.

ENS est quod est, vel esse potest.

Verum est hoc sensu: Ens est quod existit, vt Petrus, vel quod existere potest vt fulgur; dummodò essentiam habeat. Est autem iam essentia fulguris, etiamsi non existat.

Non tamen verum est de eo quod non habet essentiam. Nam id quod nihil

nihil est, esse potest saltem per intellectum, & tamen nihil non est ens; v. gr. intelligimus negationes, priuationes prout nihil sunt: E. acquirunt existentiam per intellectum. id est acquirunt esse intellectum: & tamen nihil non est ens. Item Chimæra non est ens, quia non habet existentiam, & tamen potest existere in intellectu. Ita *impossibile* id vocatur, quod nec est nec esse potest, & tamen potest intelligi; & sic acquirit esse per intellectum; & tamen absolutè verum est, Impossibile non est ens.

AXIOMA VI.

OMNE ens vel est DEUS, vel creatura.

Verum est hoc sensu: Omne ens vel est causa prima, vel à causa prima, siue effectus.

Non est verum quod omne ens sit vel producens, vel productum. Nam datur aliquid quod nec est producens, necnon producens: & quod

sit productum & improductum. Nam ex fide Deitas non generat, nec producit, nec producitur, sed tantùm Deus Pater producit, & tantùm Deus Filius & Spiritus Sanctus producuntur: Ergò quatenus Deus & Diuinitas, nec producunt, nec producuntur: sed quatenus Deus Pater pruducit, quatenus Deus Filius producitur.

Dicunt essentias æternas & improductas nec dependere à Deo v. gr. vt homo sit animal rationale vel irrationale.

Respondeo. Est falsum; non essentia ens est. Ens autem est quod existit, siue est; vel existere, siue esse potest. Ergô cùm essentiæ sint entia, existere possunt. Impossibilissimum autem est aliquid existere posse absque Deo. Præterea, essentiæ veræ sunt: omnis autem res vera est, quôd conformis sit Deo, aut ipsius exemplari, & Deo ab exemplari dependet.

AXIO-

AXIOMA VII.

OMNE ens vel eſt ſubſtantiâ, vel accidens.

Verum eſt, ſi de perfectiſſimis entibus loquamur. Nam omne quod exiſtit, vel per ſe exiſtit, & eſt ſubſtantia; vel per aliud exiſtit, & eſt accidens.

Non tamen eſt verum abſolutè. Nam ſunt res perfectæ quæ nec ſunt ſubſtantia, nec accidens, ſc. hæc prædicamenta, *Vbi*, *Quando*, *Situm*, *Habere* *Relatio*. Ptobatur. Non ſunt ſubſtantiæ, omnium conſenſu. Probo non eſſe accidentia. Accidens inhæret in ſubſtantia: ſed non eſt accidens, cùm ſubſtantia ineſt in accidente. Sed Vbi eſt cùm ſubſtantia corporea eſt in loco, id eſt, in accidente. Quando eſt, corpus eſſe in tempore, id eſt, cùm ſubſtantia eſt in accidente. Prætereà non eſt accidens cùm ſubſtantia eſt in ſubſtantia; ſed Situm eſt certo modo partes ſubſtantiæ eſſe

in tota ſubſtantia. Tandem non eſt accidens quod ſubſtantiæ *adhæret*, ſed quod *inhæret* : atqui Relata formaliter ſunt *ad aliud*, i. referuntur *ad aliud*: ergò formaliter adhærere, referri ad aliud, non eſt inhærere. Sic Veſtitum eſſe eſt veſtem adjacere corpori: ſed adjacere non eſt inhærere.

2. Non eſt verum de eſſentiis. Nulla enim eſſentia eſt ſubſtantia, aut accidens. Probatur, eſſentiæ abſtrahunt à modis eſſendi id eſt, à modis per ſe ſubſiſtendi & inhærendi, omnium conſenſu, & tamen tantum iſti modi faciunt ſubſtantiam aut accidens, v. grat. Humanitas eſt eſſentia hominis non tamen eſt ſubſtantia; quia abſtrahit à modo per ſe ſubſiſtendi: homo autem eſt ſubſtantia, quia homo eſt humanitas per ſe ſubſiſtens. Ita accidentis eſſentia, non eſt aptitudo ad inhærendum, quia aptitudo ad inhærendum, eſt proprietas accidentis, ſicut aptitudo riſus hominis. Nullum

autem

autem proprium est de essentia rei: ergo aptitudo ad inhærendum non est essentia accidentis, siue non pertinet ad essentiam, verb. grat. coloris, vt sit accidens, siue vt aptum sit in hærere.

3. Non est verum de differentiis. Aristoteles enim cap. de Substantia ait *solas* substantias & differentias prædicari vniuocè: ergo ex hoc modo loquendi *differentiæ* non sunt substantiæ. Deinde vt differentia animalis non est animal; ita nec differentia substantiæ est substantia. Nec tamen sunt accidentia, quia non prædicantur accidentaliter, sed essentialiter.

4. Quemadmodum datur animal quod nec est rationale, nec irrationale scil. animal genericum: ita ens genericum ens est, nec tamen est substantia, nec accidens.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [33] - 29
PUBLIC DOMAIN

AXIOMA VIII.

OMNE ens vel est materiale, vel spiritale.

Verum est de substantiis perfectissimis. Nam substantia saltem creata, vel est corporea vel spiritalis. Non verum est absolutè ; nam primò datur aliquid quod partim est materiale, partim spiritale ; vt homo secundùm corpus est materialis, secundùm animam est spiritalis. Secundo. Materiale est quod quantum est & extensum : spiritale autem, quod non est quantum. Iam aut dari potest aliquid quod non sit quantum, & tamen non sit spiritus ; v. gr. Si Deus animas aliorum animalium separatas à materia crearet, non essent materiales, quia non essent quantæ? nec tamen essent spiritales, quia anima equi non est spiritus, sed essent immateriales. Tertio Aristoteles ait in Anteprædicamentis, differentias non posse convenire easdem diversis generibus, vt non

non posse easdem differentias convenire substantiæ & accidenti : ergo si corporeum & spiritale sunt differentiæ substantiarum, nullum accidens, propriissimè loquendo, erit corporeum vel spiritale.

AXIOMA IX.

VT se res habet ad esse, ita ad cognosci, siue ad veritatem.

Verum est hoc sensu. Si res aliqua sit per causas, debet cognosci per causas, per quas est, vt sunt omnes creaturæ : si verò non sit per causas, vt Deus, non potest cognosci per causas, quia Dei nulla est causa, nec efficiens, nec materia, nec forma, nec finis. Causa enim prior est : nihil autem prius est Deo.

Secundò verum est : Quidquid priùs est, prius cognoscibile est, & prius verum est, siue notius est suâ naturâ : sic causa prior est, ideò notior est, & verior, quàm effectus.

Non tamen verum est secundùm nostrum cognoscendi modum ; nos enim ea quæ posteriùs sunt priùs cognoscimus , & sunt notiora nobis , verb. grat. effectus Dei , vt mundus, faciliùs & priùs à nobis cognoscitur , quàm Deus. Sicut licet Sol sit clarissimus, faciliùs tamen ipsius lumen aut lumen Lunæ intuemur , quàm Solem ipsum.

AXIOMA X.

SVBSTANTIA est ens per se subsistens.

AXIOMA XI.

ACcidens est ens inhærens substantiæ.

Hæc axiomata vera sunt de rebus ordinariis , sed non de rebus extraordinariis. Nam ex fide constat quod Christus Dominus vt homo , non per se subsistat , siue per suam personalitatem , sed per personalitatem Verbi diuini , id est , secundæ personæ in Trini-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [36] - 32
PUBLIC DOMAIN

Trinitate. Item ex Theologia, quantitas panis & vini non existunt substantiæ in sacramento altaris: & Methaphysicè Deus potest tollere inexistentiam, sicut ab homine in Christo sustulit subsistentiam.

Secundò, non est de essentia substantiæ vt apta sit subsistere, nec de essentia accidentis vt aptum sit inhærere.

Probatur. Proprietas, vt risibilitas, non est de essentia hominis, sed esse aptum ad subsistendum, esse aptum ad inhærendum, est proprietas substantiæ & accidentis, sicut esse aptum ad ridendum est proprium hominis: ergo aptitudo ad subsistendum & inhærendum non sunt de essentia substantiæ & accidentis.

Tertiò, Humanitas est essentia hominis, & tamen humanitas non per se subsistit, propterea quod omnis essentia abstrahit à modo suo, ideòque substantia à modo subsistendi, aliàs nulla esset differentia inter humanitatem & hominem.

AXIOMA XII.

QVOD vni eſt accidens, non eſt alteri eſſentia ſiue ſubſtantia.

Verum eſt ſi loquamur formaliter, non autem verum eſt ſi loquamur cauſaliter, eminenter, analogicè; vt ſcientia, iuſtitia ſunt accidentia in nobis: & tamen ſcientia & iuſtitia ſunt ſubſtantia Dei, quòd Deus ſit cauſa omnium horum, & ita habeat eminenter.

Secundò. Non eſt verum reſpectu ſpecierum. Nam albedo eſt accidens hominis, ſicut & color; & tamen color eſt eſſentia albedinis.

Tertiò. Non eſt verum quoad propria; Frigus enim & calor ſunt accidentia communia aliarum rerum, & tamen ſunt propria ignis & aquæ.

AXIOMA XIII.

ACcidens non tranſit de ſubiecto in ſubiectum.

Ve-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [38] - 34
PUBLIC DOMAIN

Verum est hoc modo ; Calor ille qui in igne est non transit ex igne in aërem : nec odor pomi transit in aërem, sed similem & nouum facit odor odorem in aëre.

Non est verum vbi eadem materia est, v. gr. in homine, cadauere cineribus &c. Nam eadem quantitas, eadem albedo est in homine & in cadauere : ergo transit de subiecto in subiectum. Non verum est in viuentibus ; nam Physici docent non remanere idem numero viuens, & tamen remanet eadem; v.gr. figura quæ est accidens.

AXIOMA XIV.

SVbstantia, vel est prima, vel secunda.

Verum est perfectam substantiam esse vel primam, id est, existentem & singularem ; vel esse secundam, siue vniversalem, quæ existit in singulari.

Non est verum absolutè. Nam da-

tur ſubſtantia quæ nec eſt ſingularis, nec vniuerſalis Probatur Subſtantia, verb. grat. homo, ex ſe eſt indifferens vt ſit vniverſalis, vel ſingularis. Probatur. Nulla ſubſtantia relata eſt ex Ariſt. cap. de Relatis : ſed ſubſtantia dicitur vniuerſalis per reſpectum & relationem ad multa & ſingularia. Item dicitur ſingularis per reſpectum ad exiſtentiam : ergo ſubſtantia ex ſeſe nec eſt vniuerſalis, nec ſingularis.

Secundò. Non eſt verum de Deo. Licet enim Deus ſit ſubſtantia, tamen nec eſt vniuerſalis, nec ſingularis: non quidem vniverſalis, aliàs poſſent eſſe multi dii; nec propriè ſingularis quia omne ſingulare dicitur quod ſub ſpecie collocatur Nulla autem eſt ſpecies Dei : ergo Deus non eſt ſubſtantia ſingularis,

AXIOMA XV.

Subſtantia, eſſentia, non ſuſcipit magis & minus.

Ve-

Verum est hoc modo Homo non iam est magis homo, iam minùs homo. Item calor non iam magis calor, iam minus calor.

Sed non est verum de accidente prædicabili, siue adiectiuè sumpto, quia aliquid est magis aut minùs calidum. Attamen non est verum in quantitate prædicabili, seu adiectiuè sumpta, quia vnum quantum non est magis quantum quàm aliud & ratio est ideò aliquid est magis calidum, quia plures gradus caloris intra sese habet: sed vnus gradus aut vna pars quantitatis non potest esse intra aliam, vt, linea non potest esse intra lineam, nec datur penetratio.

Non tamen verum est diuinitùs; quia potest vna quantitas esse intra aliam, & vnum corpus intra aliud, vt ex miraculis constat. Ergo aliquid est magis quantum quàm aliud. Præterea quemadmodum natura vnum gradum caloris ponit intra alium, & sic facit magis calidum: Ita Deus po-

teſt duas humanitates intra ſe collocare, & ſic vnus homo iam erit magis homo, iam minùs.

Non eſt verum ſi vna ſubſtantia cum alia comparetur. Nam ſubſtantia ſingularis eſt magis ſubſtantia, quam ſubſtantia vniuerſalis : attamen duæ ſpecies ſub eodem genere non ſunt magis ſubſtantiæ ; ſicut nec duo indiuidua diverſarum ſpecierum; vt non eſt magis ſubſtantia quàm equus : & hic homo non eſt magis ſubſtantia, quàm hic equus.

Non eſt verum quoad effectus ; vnus enim homo magis ratiocinatur, quàm alius, propter diſpoſitionem materiæ.

AXIOMA XVI.

ACcidens proprium eſt reciprocabile.

Hoc ſenſu verum eſt ; Omnis homo eſt riſibilis : ergo omne riſibile eſt homo, id eſt, nullum eſt tempus, aut inſtans temporis, in quo ſit homo

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [42] - 38
PUBLIC DOMAIN

mo, & tamen non sit risibilis. Sed non est verum absolutè; quia cùm omnis causa sit prior effectu, saltem in aliquo instanti naturæ; & omne proprium sit effectus alicuius naturæ, vt risibile est effectus hominis; sequetur hominem esse priorem risibilitate: & sic verum erit in primo instanti naturæ, nullus homo est risibilis. Vnde colligitur Deum non potuisse aliquid ab æterno creare; quia omnis causa prior est suo effectu.

AXIOMA XVII.

SVbstantia non potest inhærere, & accidens non potest subsistere.

Verum est vt plurimum, absolutè tamen falsissimum est. Nam Deus potest humanitatem efficere absque subsistentia, ut fides docet: quare iam non posset ei dare modum istum qui vocatur inhærentia? quandoquidem inhærentia non sit essentia accidentis, vt suprà probaui. Pariter Deus potest facere

facere accidens absque inhærentia: quare iam non posset ei dare modum istum qui vocatur subsistentia, quandoquidem subsistentia non sit de essentia substantiæ: quo facto substantia inhærebit, & accidens subsistet. Et hæc est Philosophia Ocami, ex quo hausit Crassotus.

AXIOMA XVIII.

SUbstantia non sit ex non substantia.

Hoc verum est, si intelligas per vocabulum, non substantia accidens; quia substantia non potest fieri ex accidente, aliàs enim accidens prius esset quàm substantia. Sicut enim cùm ex lapidibus fit domus, lapides priùs sunt quàm domus: Ita si ex accidente fieret substantia, accidens prius esset quàm substantia: cùm tamen accidens supponat substantiam.

Sed non est verum absolutè. Nam substantia fit ex ente & subsistentia, & tamen nec ens, nec subsistentia sunt sub-

ſubſtantiæ. Sicut enim quantitas fit ex non quantitate; vt numerus ex vnitatibus, & linea ex punctis: ita ſubſtantia fit ex non ſubſtantia; puta ex genere differentia.

AXIOMA XIX.

ACcidens non eſt perpetuum, ſiue, accidens adeſſe & abeſſe poteſt.

Verum eſt. Primò; Res poteſt intelligi absque ſuo accidente, vt corvus absque nigredine. 2. Realiter abeſſe poteſt. Cur enim coruus non eſſe poſſit absque nigredine? 3. Omne accidens abeſſe poteſt abſolutè, licet propter aliquam diſpoſitionem abeſſe non poſſit: vt calor abeſſe poteſt, licèt propter diſpoſitionem neceſſariò requiſitam ad hominem, ab eo abeſſe non poſſit omninò, licèt aliquo modo abeſſe poſſit: nam ſenex non eſt ita calidus, vt iuuenis: ergo ſaltem aliqua pars caloris abeſſe poteſt.

Non

Non est verum quod abesse possit sine sui interitu, nisi diuinitus. Nam eo ipso quod calor abest, non amplius est.

AXIOMA XX.

DVo accidentia eiusdem speciei non possunt esse in eod. subiecto simul.

Verum est hoc sensu: Non potest verb. grat. in Petro esse duplex longitudo, siue duplex quantitas in eodem instanti.

Non est verum primò in qualitatis gradibus; possunt enim plures esse gradus caloris eodem tempore in Petro.

Secundò. Non est verum in speciebus intentionalibus, i. in imaginibus per quas sentimus aut intelligimus, quia in eodem oculo esse possunt duæ imaginis distinctæ; quarum vna hanc albedinem, illa aliam repræsentat.

Ter-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [46] - 42
PUBLIC DOMAIN

Tertiò. Non est verum in Relatiuis; possunt enim duæ paternitates esse in eodem homine, licèt idem homo non possit esse duo patres.

AXIOMA XXI.

ACCIDENS vel est Absolutum, vel Relatum.

Ita intelligitur : Accidentia quæ sunt in reliquis prædicamentis, esse possunt solitaria & absoluta; vt albedo sola esse potest absque alio accidente. Sed Relatum non potest esse *vnum solum* : vt, pater non potest esse sine liberis.

Non est verum; Primò, quia omne accidens habet necessariam relationem ad substantiam cui inesse potest.

Secundò, Non est verum : quia accidentis est *inhærere*, non autem *adhærere*, vt suprà exposui : ideò cùm Relatum quatenus relatum adhæreat; siue referatur ad aliud, non est accidens.

Tertiò, Qualitas fermè omnis, essen-

sentialiter est *absoluta* & *relatiua*: verb. grat. Scientia est absolutum accidens, quatenus facit *qualem*: est Relativum, vt essentialiter refertur ad obiectum scibile.

CAPVT II.

Axiomata de Deo & creaturis.

SVPRA dictum est, Omne vel est Ens, vel non est ens: ideò axiomata de ente & non ente dicta sunt. Ens autem vel est substantia, vel accidens; item vel est Deus, vel creatura. Axiomata de substantia & accidente dicta sunt. Iam de Deo & creaturis dicenda.

AXIOMA XXII.

ENs vel est à se, vel ab alio.

Verum est hoc modo: Ens quod fit, ab alio est, cùm nemo seipsum faciat. Cùm autem ens non sit, non est ab alio, vt Deus.

Non tamen est verum absolutè

Nam

Nam nec Filius, nec Spiritus Sanctus facti sunt, & tamen sunt ab alio, non quidem ab alio Deo, sed abalia persona.

AXIOMA XXIII.

DEVS est.

Hoc non videtur axioma, præsertim atheis: tamen plurimi Metaphysici arbitrantur hoc esse axioma & primum verum. Ergo est axioma censendum; imò, est prima veritas. Primò, quia illi qui negant esse Deum, nihilominus coguntur fateri esse Deum: quia qui negant esse Deum, dicunt omnia esse facta *casu*. Sed eo ipso si omnia sunt facta casu, sunt facta à Deo. Nam apud omnes *casus* est *causa per accidens*, sicut musicus est causa per accidens ædificationis; sed causa per accidens supponit causam per se; vt si musicus per accidens ædificat, est aliquid in musico; quod per se ædificat, scilicet architectus. Ita

si mundus est factus *casu*, est factus à causa aliqua per se, quæ est Deus Ita Arist. 2. Phys.

Secundò verum est; quia omnis homo debet credere esse Deum, siue Deus sit, siue non sit. Nam si Deus non est, & tu credas esse Deum, quid mali tibi eueniet? Si verò est Deus, & tu non credas eum esse, *infallibiter* te puniet: ergo credendum est esse Deum. Hæc est Philosophia Ciceronis.

AXIOMA XXIV.

CREATIO est productio rei ex nihilo.

AXIOMA XXV.

Ex nihilo nihil fit.

Hæc duo axiomata videntur contradictioria, quia quod vnum affirmat, alterum negat.

Sed ita intelligenda sunt: Primò, Ex nihilo nihil fit, distinguo, ex *nihi-*

lo

impossibili etiam diuinitùs nihil fieri possit; vt homo irrationalis est *nihil impossibile*, ideò ne diuinitùs quidem homo fieri potest irrationalis, ideoque creatio, non productio ex nihilo impossibili, ideoque ex nihilo nihil fit. Sed ex nihilo possibili aliquid fieri potest. Sic ante mundum creatum, mundus erat nihil, sed nihil possibile, ideoque ex nihilo nihil fit; naturaliter concedo, diuinitùs nego.

Secundò, etiam naturaliter aliquid fieri potest ex nihilo, dummodo absit materia, vt, natura ex terra potest facere herbam, & tamen *terra nihil est herbæ formaliter*, ideoque ex nihilo formæ, dummodo absit materia, potest fieri aliquid formæ naturaliter.

Tertiò, non opus est vt id quod fiet ex nihilo, fiat *in nihilo*. Nam mundus quidem creatus ex nihilo, & in nihilo: attamen cùm Deus quotidie creat animas rationales, creat ex nihilo, sed non in nihilo, sed in corpore.

Quartò:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [51] - 47
PUBLIC DOMAIN

Quartò: Ex nihilo intelligitur 1. ex nulla materia. 2. ex nihilo intelligitur tanquam ex eo quod priùs sit: sicut antequam aliquid fiat calidum, debet priùs esse frigidum; ita antequam aliquid creatur, debet priùs esse non ens. Vnde impossibile vt aliq id fiat ab æterno, quia vt fiat debet priùs non esse: In æternitate autem nihil est prius, alias in eodem instanti naturæ aliquid esset & non esset, si terminus Nihil non esset priùs eo quod ex nihilo fit.

AXIOMA XXVI.

DEVS est ens necessarium, siue immutabile, &.

AXIOMA XXVII.

IN diuinis & æternis nulla est potentia. *vel*, In diuinis idem est esse, ac posse. *Vel*, Ab actu ad potentiam in diuinis non est bona consequentia.

Ve-

Verum est, Deum esse Ens necessarium quoad existentiam. Nam licèt aliæ res sint necessariæ quoad essentiam, vt, quòd homo si rationalis, non tamen necesse, est vt homo existat.

Et quamuis omnes gentes recipiant hoc axioma, quod Deus sit necessarius & immutabilis quoad existentiam, potest tamen declarari. Nam si Dei non esset necessaria existentia, potuisset aliquando non existere: Iam igitur vnde accepisset existentiam? certe non ab alio, quia ille alius esset Deus; non à nihilo, quia nihil non potest facere aliquid.

Non autem est in diuinis potentia, eo modo quo est in creaturis. Nam cùm res aliqua existit, priùs habuit potentiam ad existendum; vt, homo iam existit, ita vt priùsquam existeret, potentiam haberet. Sed Deus non potuit priùs existere antequam existeret, aliàs fuisset mutatus à potentia in actum. Iam autem probatum est

quod non potuerit accipere existentiam.

Verum tamen non est in diuinis non esse potentiam quoad actiones *externas*; nam Deus ab æterno habuit potentiam mundi creandi, non tamen ab æterno creauit: nec hinc sequitur Deum esse mutatum, quia actiones *transeuntes* non sunt in agente; vt calefactio non est in igne; ideò actiones transeuntes, vt creatio, non mutant Deum.

AXIOMA XXVIII.

IN omnibus creaturis est potentia ad Esse, & ad Non esse.

Verum est quod res omnes etiam immortales, vt Angeli, & anima nostra possint existere vel non existere, hoc enim dependet à voluntate Dei.

Sed non est verum *naturaliter* in omnibus. Non tantùm illæ res possunt esse & non-esse, quæ constant ex materia & forma, vt res corporales: Res autem spiritales non possunt esse

&

& non esse materialiter. Prætereà res quæ constant ex materia & forma sine contrariarum qualitatum compositione nunquam peribunt naturaliter, vt Cœli; imò etiamsi constarent ex qualitatibus contrariis, non tamen peribunt semper naturaliter, sicut aurum nunquam naturaliter perit, sic etiam homo fortè si in statu innocentiæ mansisset, nunquam mortuus fuisset. Sed hoc pertinet ad Theologos.

AXIOMA XXIX.

DEVS est omnipotens.

Verum est quod Deus possit omnia excepto seipso: nec enim potest facere alium Deum.

Sed non est verum quia Deus non potest facere impossibile. Sed potentiorne foret Deus si posset facere impossibile? Respondeo, Deus potest facere impossibile, primò, vt *impossibile sit ens*, non quidem absolutè,

sed ens intellectum, siue ens rationis: vt contradictoria sunt impossibilia, quæ tamen cùm Deus intelligit facit, vt sint entia, non absolutè, sed vt sint entia intellecta.

Respondeo iterum, Qui faceret impossibile, esset impotens? Nam qui vellet facere, & non potest facere, est impotens. Sed si Deus vellet facere hominem inanimatum, vellet facere hominem cum anima; quia hæc est essentia hominis, & tamen si vellet facere inanimatum, non posset facere cum anima: ergo esset impotens.

Tertiò, Deus non potest facere peccatum, quia peccatum est, quod est contra voluntatem diuinam. Iam verò nemo vult facere id quod non vult facere. Ergo si Deus faceret peccatum, faceret id quod non vult facere. Quando Iudæi abstulerunt Ægyptiis vasa aurea iussu Dei, non fuit peccatum, quia omnia sunt Dei, tanquam Domini, potest autem Dominus bona sua dare cui voluerit.

Quar-

Quartò, Deus non potest supplere causam materialem & formalem, id est idem facere non potest quod materia & forma: vt non potest facere hominem corporeum absque corpore, quod corpus est materia; nec facere animatum absque anima, quia anima est forma.

AXIOMA XXX.

DEVS unus est.

Hoc ita verum est: vt in cordibus omnium gentium inscriptum sit.

Nihilominus sine exceptione declarandum hoc modo: Deus est quo nihil est perfectius. Si ergo concipe-remus plures, vel inæquales forent, vel æquales: Non potest dici esse inæquales quia vnus ex illis non esset perfectissimus, ideoque non esset Deus: nec sunt æquales. Si enim vnus contineret omnem alterius perfectionem, certè esset vnus & idem cum alio; ideoque non essent plures;

ſicut ſi Petrus haberet omnem omninò perfectionem cum Paulo, certè eſſet omninò vnus & idem cum Paulo.

AXIOMA XXXI.

ENs eſt ante non ens, *ſiue*, Actus eſt ante potentiam in diuinis.

Hoc axioma eſt ex *libro* de Interpretatione, & *alibi*. Verum eſt hoc ſenſu, quod Deus ſit antequam potuerit eſſe; vt ſuprâ probaui. Si enim potuiſſet eſſe, antequam eſſet, certè nunquam fuiſſet: quia nemo ſeipſum potuiſſet à potentia reducere in actum.

Falſum eſt Primò quia ens, & non ens, æqualiter æterna ſunt. Nam vt Deus æternus eſt, ita *nihil* & *ſpatia imaginaria* extra mundum æterna ſunt.

Secundò, falſum eſt in creaturis hæc enim non ſunt antequam ſint; & non erunt, poſtquam fuerunt.

Ter-

Tertiò tamen verum est, quia simplex prius est composito. Ens autem simplex est non ens; cùm sit negatio entis: compositum posterius est.

AXIOMA XXXII.

DEVS agit omnia.

Verum est Si enim aliquid fieret quod à Deo non penderet, Deus non esset illius Deus, si res illa esset aut fieret independenter à Deo.

Non tamen sequitur quod is qui faceret omnia, esset Deus. Nam cùm in Deo vna sit scientia, per quam res omnes contemplatur, altera per quam res omnes facit & creat: & Deus possit alicui creaturæ vtramque scientiam dare, ita vt creatura creare posset: Certè hac suppositione facta non esset illa creatura Deus: licet feciſſet cœlum & terram: sed tantùm Deus est qui omnia *facit independenter ab alio*; creatura autem dependenter crearet.

AXIOMA XXXIII.

OPVS naturæ est opus rationis: *siue* opus naturæ est opus Dei.

Declaratur. Melius est scire & perfectius, quàm non scire: DEVS autem perfectissimus est: ergo omnia nouit. Ergo quod fit à natura, fit à Deo sciente, aliàs opera naturæ essent imperfecta. Nam si idiota facit syllogismum, nesciens quid sit syllogismus, imperfectus est: ita cùm natura tanquam idiota res faciat nescia, si Deus nesciret, imperfecta essent naturæ opera; igitur perfectiori modo fiunt, si cum scientia fiunt.

AXIOMA XXXIV.

CORruptibile & incorruptibile plusquam genere differunt.

Verum est de Deo & creaturis, Deus enim in nullo est genere, omnes autem aliæ res sunt in genere prædicamenti. Se-

Secundò, verum est cùm prædicamenta sunt essentialia, ideoque incorruptibilia: nam in alio genere est homo vt est animal, & in alio vt albus: homo autem, vt albus, est corruptibilis: vt animal, est incorruptibilis.

Non est verum quod differant genere physico, id est, materia. Nam res sublunares sunt corruptibiles, nihilominus tamen secundùm plurimos est eadem materia cœlestium & sublunarium.

Quartò, verum est etiam differre genere physico, nam secundùm Aristotelem cœlum incorruptibile aliam habet materiam quàm sublunares corruptibiles.

Quintò, non est verum differre genere categorico; nam angelus incorruptibilis est in genere substantiæ sicut & res incorruptibiles.

Sextò. Non est verum de rebus prout vna est vniuersalis, altera singularis: aliàs cùm homo vniversalis

sit incorruptibilis, homo singularis sit corruptibilis, differrent genere physico, aut metaphysico, quod falsum.

Septimò. Plusquam genere differre, est se totis differre: sic substantia & accidens plusquam genere differunt.

Octauò: Plusquam genere differre, est generatione differre, id est, cùm vnum non generatur ex alio, vt ex angelo non generatur homo. Ita Aristoteles 1. Metaphysic.

CAPVT III.

De ente per se & per accidens, & ente reali & ente rationis.

AXIOMA XXXV.

ENs omne vel est per se, vel per accidens.

Verum est hoc sensu, quod omnis connexio rerum vel est perpetua, ideoque per se; vel non est perpetua; ideò-

ideòque per accidens; vt, homo per ſe homo eſt rationalis, & hoc perpetuum eſt, & per ſe: homo ſtudet, non perpetuum eſt, ideòque per accidens.

Eſt tamen exceptio. Nam modi eſſendi non ſunt per accidens, v. gr. quod ſubſtantia per ſe ſubſiſtat, eſt modus ſubſtantiæ, nec eſt per accidens ſubſtantiam ſubſiſtere, & tamen non eſt perpetuum, cùm à ſubſtantia poſſit ſeparari.

Iterum aliquid partim eſt per ſe, partim per accidens; vt homo eſt animal album, hoc eſt per ſe, & per accidens.

Tertiò, eſt aliquod ens perfectum quod nec eſt ſubſtantia, nec accidens; vt color, reſpectu albedinis nec eſt ſubſtantia, nec accidens. Ergo poteſt aliquid dari quod nec ſit ſubſtantia, nec accidens v. gr. quod animal ſit rationale; non eſt per ſe, nec tamen per accidens; quia inferiora non ſunt accidentia ſuperiorum,

multò minus ſunt ſubſtantiæ ſuperiorum.

AXIOMA XXXVI.

QVOD per ſe eſt, perpetuum eſt *ſiue*, Quod per ſe eſt tale, nunquam per accidens poteſt eſſe aliter.

Hoc verum eſt, Quod per ſe eſt, (ex Ariſt. 2. Analyt. poſter.) vel eſt definitio, aut pars definitionis, vt, Homo eſt animal; vel eſt proprium, vt, homo eſt riſibilis: vel eſt formalis effectus, vt, anima animat, materia materiat: vel eſt exiſtentia ſubſtantiæ. Subſtantia enim per ſe exiſtit, ideoque nunquam per accidens homo poteſt eſſe hinnibilis: nec per accidens in exiſtere.

Diſtinguendum tamen eſt nam abſolutè verum eſt in propoſitionibus quæ ſimpliciter convertuntur, vt, omnis homo eſt animal rationale: ergo omne animal rationale eſt homo ſed non eſt verum in aliis propoſitionibus

nibus nisi ex vna parte, verb. grat. homo est animal; nam hîc est perpetua connexio hominis cum animali, sed non est perpetua animalis cum homine. Ita corpus animari ab anima per se est, non tamen per se est vt anima semper animet, quod etiamsi proueniat ab homine, per se est, non tamen per se vt homo semper rideat.

AXIOMA XXXVII.

ENS reale est quod existere potest nullo intellectu cogitante.

Verum est, si de intellectu humano aut angelico loquamur.

Non tamen verum est si loquamur de intellectu diuino, posito enim quod Deus ab ea cogitatione esset, per quam intelligit me esse, ego non amplius essem.

Nec verum est de actionibus mentis, nam nulla cogitatio mentis esset, nisi mens cogitaret; sicut nulla calefactio foret, nisi aliqua res calefaceret.

AXIOMA XXXVIII.

ENS rationis est quod non est nisi cogitante intellectu, nec habet aliud esse quâm esse obiectiuum siuæ intellectum.

Verum est quod illud sit ens rationis, quod non habet existentiam, siue cuius existere non est aliud quàm intelligi; vt chimæra non aliter existit quàm cùm intelligitur, siue quamdiu est obiectum actualem mentis cogitantis existit in intellectu siue ipsius existere est esse intellectum.

Falsum est, quoad essentiam entis rationis; cùm enim essentiæ non sint factibiles, non dependet ab intellectu essentia rationis, sed tantùm existentia: ideòque intellectus non facit essentiam talis entis.

CA-

CAPVT IV.

Continens axiomata de principiis & cauſis omnium rerum.

AXIOMA XXXIX.

PRincipia ſunt ex quibus omnia fiunt, aut ſunt, aut cognoſcuntur.

Verum eſt quod principia ſint alia requiſita vt aliquid fiat. Nam ex nihilo fit aliquid, aut ex aliquo nihil, vt in generatione & morte; Alia ſunt ex quibus aliquid eſt ſeu conſtat; & alia ſunt ex quibus ex æquo ſcitur tanquam ex axiomatibus.

Sed non eſt verum, id eſt, *in ſingulari*, quia ex vno principio nihil fieri poteſt naturaliter, vt ex ſola materia nihil fieri poteſt.

Non eſt verum niſi aliquid fiat tanquam ex intrinſeca aut tanquam ex parte: hinc Deus non eſt ptincipium mundi propriè.

Nec eſt verum niſi aliquid fiat ex in-

intrinseco: tanquam ex primo Hinc animal non est principium hominis, quia non est primum in homine: hinc nullum compositum ex alio principium esse potest.

AXIOMA XL.

QVoduis non fit, nec est, nec cognoscitur ex quouis.

Naturaliter hoc verum. Nec enim ex oppositis fiunt, aut sunt opposita, vt ex substantia non fit accidens, nec ex nigredine abstracta fit albedo.

Non verum est absolutè, quia ex quouis potest fieri quoduis ex substantia accidens, ex homine angelus diuinitùs: imò ex vno nihilo aliud nihil, vt ex non visione fieri potest non auditio. Item ex vno opposito potest cognosci aliud, vt ex creatura Deus, ex domino seruus.

Quod si ex quouis cognoscetur quoduis ex quouis sequeretur quoduis, & sic nulla esset lex bene discurrendi.

Hoc

Hoc tamen absolutè verum non est, quia cùm omnes sint res inter se similes, saltem in rebus transcendentalibus, ex quouis potest cognosci quoduis aliquo modo. In hoc fundatur ars Lulliana, quando quidem de omnibus per omnia discurrat.

AXIOMA XLI.

PRincipia sunt æterna:

AXIOMA XLI.

PRincipia nec ex se, nec ex aliis, sed ex ipsis omnia.

Verum est hoc sensu; Principia sunt prima. Si ergo generarentur, & sic non essent prima, ideoque nec principia.

Verum est quod non generentur ex aliis eiusdem naturæ, vt materia non fit ex materia, nec forma ex forma.

Falsum tamen est quia omnia ex aliis alterius naturæ fiunt, vt materia ex nihilo, priuatio ex materia, forma par-

partim ex materia, partim ex nihilo seu priuatione.

Non verum est quod non fiunt ab alio, quia omnia fiunt à Deo.

Non verum est quod omnia quæ alio sint, ex alio facta sint; Deus enim est ex Deo, Deus autem non est factus ex Deo.

Verum est omnia enim sunt ex principiis, etiam ipse Deus.

Sunt autem æterna principia, quia priuatio manet etiam forma præsente, vt in Petro adhuc est priuatio hominis alterius. Forma autem nulla sit naturaliter: nec enim natura facit animam, sed rem animatam. Materia etiam perpetua est.

Non tamen verum est de ente absolutè; nam cùm ens diuidatur in principium & principiatum certè principium quod ens est, non habet aliud principium, quia vel daretur progressus in infinitum, vel principium principii esset. Similiter de Deo dicendum est.

AXIO-

AXIOMA XLIII.

CONtraria prima ſunt principia omnium rerum.

Verum eſt. Quidquid fit, aut eſt, fit ex duobus maximè oppoſitis, vt homo fit ex non ente ens; non homo autem & homo ſunt oppoſita, ſeu contraria prima, Vel aliquid fit ex materia & forma, ex genere & differentia, quorum vnum non eſt aliud & maximè oppoſitum alteri.

Non verum eſt abſolutè, quia ex contrariis abſtractè nihil eſt, vt ex nigredine & albedine, abſolutè loquendo.

AXIOMA XLIV.

ACTVS & potentia ſunt principia entis.

Verum eſt quatenus omne ens perfectum habet potentiam & actum, vt angelus habet actum angeli & habet potentiam ad illum actum. Deinde omne ens creatum etiam eſſentia de-

pendet

pendet à Deo tanquam ab exemplari, ideoque est & esse potest, vude nullum ens creatum est necessarium, quia non est necessaria connexio inter potentiam & actum.

Nam est verum de actu ipso hic enim non componitur ex actu & potentia. Nec verum est de ipsa potentia quæ non componitur ex actu; hinc Deus est actus, nec ex potentia componitur, hinc possibilitas alterius mundi ex nullo actu componitur.

AXIOMA XLV.

ACTVS est causa cognitionis, distinctionis, extra possibilitatem.

Verum est in rebus compositis, quia differentia, siue forma, siue actus distinguit hominem à bruto.

Non est verum absolutè: nam homo distinguitur ab angelo etiam per materiam. Prætereà materia per seipsam distinguitur. Prætereà per negationes & priuationes distinguimur,

vt

vt homo ab accidente distinguitur per non inhærentiam.

Quod autem actus sit causa cognitionis, constat, quia potentia est causa occultationis; impossibile enim est intelligere potentiam nisi per actum, vt potentiam videndi per visum.

Quod actus potentiæ opponatur, non absolutè verum est, quia impossibile potentiæ opponitur, pariter imbecillitas opponitur potentiæ, nec tamen impossibilitas aut imbecillitas est actus.

Actus autem potentiæ opponitur, quatenus res est de facto, vel quatenus aliquid est actio vel principium actionis. Sic risibilitas & ridere sunt actus.

Nec absolutè verum est per actum omnia distingui; nihil enim est sui ipsius actus, siue forma, siue perfectio: Actus enim tantùm est potentiæ actus, Deus autem non habet potentiam, ideoque nec actum, ideoque nec actus est.

AXIO-

AXIOMA XLVI.

FRuſtra eſt potentia quæ non reducitur ad actum. *ſiue*, Natura nihil facit fruſtra.

Sic explicatur: Deus & natura ſtulti forent; ſtultus eſt qui aliquid fruſtra facit.

Non eſt verum quoad præcipua; nam in materia cœleſtis eſt diuiſibilitas nunquam tamen diuiditur, quia præſtantior eſt actus continuari cœlum, quàm idem diuidi: ita materia poteſt plures habere formas naturaliter per nouam ſpecierum commixtionem, nunquam tamen habebit: ſufficit enim quod habeat præcipuas.

Non verum eſt in quouis individuo, ſed tantùm in ſpecie; Chriſtus enim Dominus nunquam riſit: ſed ſufficit quod homo aliquis rideat.

Non verum eſt ſi per potentiam intelligas aptitudinem; nam cæcus natus habet aptitudinem naturalem videndi, nunquam tamen videbit naturaliter.

Non

Non est verum si actus aliunde dependeat, nam cotpus hominis mortui habet potentiam ad animam naturaliter, nunquam tamen habebit naturaliter; hoc enim ab ipsa non dependet.

Verum est de potentia passiua: si enim materia habeat potentiam per quam possit animari, etiam est aliquis actus qui possit animare.

AXIOMA XLVII.

QVOD potest maius, potest minus.

Verum est in subordinatis, vt rex potest quod principes: anima rationalis potest quod sentiens & vegetans.

Non est verum in rebus non subordinatis: homo enim potest generare hominem, non tamen potest generare plantam.

Non est verum in rebus subordinatis in alio genere causæ; nam Deus potest facere materiam, animam, & mate-

materia potest materiare, anima animare, nec tamen Deus materiare potest absque materia, & animare absque anima.

AXIOMA XLVIII.

ACTVS sunt suppositorum.

Id est actio est singularium substantialium; vnde accidentia separata nihil agere possunt, nec calor separatus calefacit. Hinc vniuersalia non agunt: homo enim est risibilis, nunquam tamen ridet.

Non est verum quoad instrumenta, nam homo agit per animam per accidentia quæ agunt, sed dependenter.

Nec est verum quod obiecta seu terminos; actiones enim sunt circa vniuersalia, quæ fieri possunt, ex plurimorum sententia, per intellectum.

AXIOMA XLIX.

OMNIS rei principia sunt genus, & differentia.

Hoc

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [76] - 72
PUBLIC DOMAIN

Hoc verum est de omni specie, perfectaque natura, quia non aliter quàm experientiâ constat omnem rem cum alia conuenire, & ab alia discrepare. Id autem in quo res vna conuenit cum alia essentialiter est genus; id autem in quo res discrepat essentialiter est differentia.

Non tamen verum est absolutè, 1. quia Deus perfectissimus est, nulla autem est differentia, nec genus, Dei, aliàs enim Deus non esset simplicissimus, & primus, sed compositus ex aliis.

2. Non est verum, quia genus ipsum non constat ex genere & differentia, nec differentia constat ex genere & differentia: aliàs enim daretur progressus in infinitum.

3. Non est verum nisi intelligatur de differentia composita, siue complexa, quæ aliàs supponit. Falsum enim esse hominem, v.gr. nihil aliud esse quàm animal, & rationale, id est, genus suum & differentiam, aliàs e-

nim homo esset monstrum, si nihil aliud haberet quàm animalitatem & rationalitatem. Hoc enim sensu homo esset essentialiter sine ossibus sine capite, hepate, sanguine, &c. quandoquidem ista omnia non includuntur nec in ratione animalis, nec inconceptione rationalis.

AXIOMA L.

GENVS est commune pluribus speciebus.

Verum est hoc sensu; Genus pluribus naturis convenire potest secundùm essentiam, & eadem essentia animalis homini & bruto tanquam differentiis & speciebus conuenit.

Non autem verum est secundùm entitatem siue realitatem; nec enim verum est quod homo habeat totam realitatem animalis aliàs enim brutum non esset animal realiter, si homo haberet omnem animalis realitatem & entitatem.

AXIO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [78] - 74
PUBLIC DOMAIN

AXIOMA LI.

DIFFERENTIA est quæ vni speciei conuenit, siue unam speciem constituit.

Hoc verum est si differentia accipiatur composita siue complexa: Rationale enim constituit hominem si rationale accipiatur vnà cum differentiis, siue quatenus rationale supponit cæteras differentias requisitas: sicut quinta vnitas constituit numerum, sed quatenus aliàs vnitates præsupponit.

Non est verum, siue loquamur secundùm Aristotelicos; siue secundùm Platonicos: nam differentiam solitariam vni tantum specei conuenire; sicut enim quinta vnitas solitaria non conuenit vni numero quinario sed aliis omnibus post quinarium: ita nulla differentia conuenit soli, vni, si solitariè sumatur: sic rationale, æquè pluribus speciebus conuenire potest, ac irrationale, ideoque species distin-

guuntur non per vnam differentiam, ſed per plures ; ſicut vnum vocabulum non per vnam literam, ſed per collectionem literarum diſtinguitur ; ideò natura non conſtat ex genere & differentia ſed ex genere & differentiis. Et certè hæc eſt mens Ariſtotelis & Porphyrii, qui omnem differentiam genericam vocant.

AXIOMA LII.

NAtura ſiue ſpecies incommunicabilis in plures ſpecies.

Verum eſt quod ſpecies vltima, v. gr. humana, non poſſit communicari pluribus ſpeciebus humanis, nec equus pluribus ſpeciebus equi ; quandoquidem omnia indiuidua hominis ſpecie conueniant, ſicut & omnia indiuidua equi inter ſe ſpecie conueniunt.

Non tamen verum eſt non poſſe quamuis ſpeciem, ſi Deus aliquid ipſi adiungere velit, eſſe genus. Sicut e-

nim

nim vegetabile est species substantiæ, nihilominus si ipsi adiungatur noua differentia rosæ, aut violæ, fit alia species; ita homo licèt sit species postrema siue specialissima, nihilominus si Deus adiungeret aliquam perfectionem sine dubio esset genus respectu hominum illorum possibilium: eo modo quod Angelus est genus ad Gabrielem & alios.

AXIOMA LIII.

OMNIS res est indiuiduum, seu indiuisibilis.

Verum est quod nulla res quæ diuidi possit in plura sibi similia, vt, impossibile est vt substantia, quæ est genus generalissimum, diu datur in plura genera generalissima; Ita impossibile est vt color, quatenus est vnus genere, diuidatur in plura genera.

Sed non est verum absolutè, nam id quod vno sensu indivisibile est, alio modo est diuisibile, Deus quatenus Deus non est diuisibilis in plures: sed

Deus quatenus persona est diuisibilis in plures personas,&c.

AXIOMA LIV.

PRINCIPIA entis sunt essentia, & existentia : *siue*, Omnis res constat essentia & existentia.

Verum est de perfectis speciebus, & indiuiduis prædicamentalibus, vt Petrus ; vt homo, &c. essentiam & existentiam habet.

Falsum est ; 1. de existentia actuali : fulgur n. ex Philosophis est ens, licèt non existat, tamen sufficit vt existere possit. Vnde scientiæ & artes ab existentia actuali abstrahunt.

Falsum est, si intelligatur omnem essentiam & existentiam distingui ; Deus enim habet existentiam, quæ nihil aliud est quàm ipsius essentia.

Falsum est, quia essentia dat esse, vt animal rationale dat esse homini, siue animal rationale est materialis & formalis causa hominis : Deus autem nul-

nullam habet causam, ideoque nec definitionem, nec formam, ideoque nec propriissimè essentiam.

Verùm tamen est, quod ipsa essentia habeat essentiam, sed non distinctam, vt, homo est essentia, & tamen dicimus quod hominis essentia, sit animal rationale, quod non est distinctum ab homine. Ita definitio est essentia, & tamen datur definitio definitionis, ideoque essentia essentiæ.

Item existentia habet essentiam, sed non distinctam ab existentia; & existit, sed non per aliam existentiam.

AXIOMA LV.

ESSENTIA est id quod definitione explicatur: *siue*; Definitum est definitio.

AXIOMA LVI.

OMNE totum nihil aliud est quam suæ partes.

Verum est communi sensu, vt, homo est animal rationale, *siue*, homo

nil aliud est quàm animal rationale, quæ sunt partes hominis.

Falsum est formaliter. Definitum enim vt definitum, non est definitio: alius enim est conceptus definiti, & alius definitionis.

Falsum est, quia effectus non est causa: definitum autem, vt homo est effectus; definitio autem, vt animal rationale, est causa siue vt loquitur Aristoteles, Definitio est ratio, siue causa substantiæ & essentiæ.

Falsum est, quia totum aliquid aliud est quàm partes suæ, sed totum est partes cum vnione; partes autem vnitæ sunt effectus, siue totum & partes vnientes sunt causa. Deinde literæ in syllaba, non idem sunt ac syllaba, v.g. a, & i, non idem sunt ac ar.

Falsum est, quia vnum non est multa, totum autem est vnum, at partes, quocunque modo sumptæ, sunt multæ.

Falsum est, quædam enim sunt quæ definitione non possunt explicari.

Cùm

Cùm enim definitio ſit ex genere & differentia, certè genus ſummum nullum aliud genus habet, nec differentiam conſtituentem ; imò differentia ipſa non habet aliam differentiam, nec habet propriè genus, ex Ariſtot. de ſubſtantia, vt, rationale, non eſt ſubſtantia, quia vt animal non poteſt eſſe differentia animalis: ita nec rationale ſi eſſet ſubſtantia, poſſet eſſe differentia ſubſtantiæ.

Falſum eſt poſitiuè : nam analoga ſunt & æquiuoca, quorum tamen eſſentia eſt non poſſe vna definitione explicari, ut taurus, & priuationes, cæteraque ſimilia.

AXIOMA LVII.

QVicquid eſt in definitione, ſeu de eſſentia definitionis ; id eſt in definito, ſeu conuenit definito.

Verum eſt in abſolutis, vt, animal rationale eſt definitio hominis, & omnes partes definitionis ſunt in homine.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [85] - 81
PUBLIC DOMAIN

Falsum est in relatis, nam in definitione patris, est filius, non tamen in patre est filius. Ita, Physica, aut alia scientia in definitione sua habet obiectum, nec tamen obiectum est in Physica, quia obiectum est substantia: physica est accidens, sed non est in substantia accidens.

Verum tamen est etiam in relatis saltem in genitiuo casu, nam pater non quidem est filius sed filii; & dominus non est seruus, sed est serui.

AXIOMA LVIII.

ESsentiæ sunt æetrnæ.

Verum est quoad connexionem æternam; posito enim homine, necessaria est connexio cum animali rationali, & è contra, nec aliter fieri potest.

Falsum est absolutè, quia cùm essentiæ sint aliquid, non fuerunt ab æterno productæ.

Verum est negatiue, id est, nullum est

est instans imaginabile quo repugnauerit hominem esse animal rationale, & è conuerso: & nullum est instans in quo Deus non conceperit hominem esse animal rationale, & è contra, ita vt aliter concipere non potuerit.

Falsum est quod sit æterna essentia independenter; sed est dependenter. Vt enim homo æternùm sit risibilis, risibile tamen dependet ab homine: ita esto sit essentia æterna nihilominus tamen dependet à Deo ita vt eam facere possit.

Potest tamen dici essentiam esse æternam obiectiuè, & secundùm possibilitatem: & hoc modo nec esse productam, nec improductam ab æterno, sed non productam; dictum enim est suprà possibilitatem non esse productam.

AXIOMA LIX.

ESSENTIA & Entitas sunt principia rerum.

AXIOMA LX.

ESSENTIA est numerus perfectionum specie differentium Entitas est numerus perfectionum specie non differentium.

Verum est quod, excepto Deo, omnis natura componitur ex essentia tanquam ex diuersis specie perfectionibus, vt homo ex animali & rationali.

Item verum est quod exceptoDeo, quæuis natura infinitas entitates similes, id est, gradus & partes similis naturæ habere possit. Sicut enim calor habet plures gradus, id est, partes siue entitates, siue perfectiones similes in natura: ita animal, verb.gr. habet plures partes, seu gradus, seu perfectiones similes, id est; plures animalitates eiusdem naturæ, sicut calor plures gradus caloris similes, attamen secundùm entitatem & realitatem distinguntur.

AXIO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [88] - 84
PUBLIC DOMAIN

AXIOMA LXI.

EXISTENTIA actualis est essentia extra suas causas.

Verum est quod eadem res, vt rosa prout est in causis suis dicatur essentia, non existentia. Eadem autem res prout est extra suas causas, & à causis producta, est essentia existens, siue existentia actualis.

Non tamen verum est 1. quia existentia Dei extra nullas causas est. Secundò non verum est de possibilitate; hæc enim est, & tamen nullam habet causam: Deus enim non fecit possibilitatem nec formam habet.

AXIOMA LXII.

ESSENTIÆ sunt indiuisibiles, & sunt sicut numeri.

Verum est primo. Sicut numero nihil potest adiungi, & nihil auferri, quin mutetur essentia numeri; vt si quaternario adiungat vnitatem, aut auferas vnitatem, non amplius est

quaternarius : ita de essentiis loquendum est.

Secundò : Si diuidatur numerus, non ampliùs est idem : ita si diuidatur essentia, non amplius est essentia : nec enim duo & tria diuisa, sunt quinque, ita materia & forma diuisa non amplius sunt homo.

Falsum est, primò : Ex vna specie numeri potest alia fieri ; vt ex numero quaternario, adiuncta vnitate quinarius, &c. Sed ex homine non potest fieri equus, nec è contra. Secundò falsum, quia vna species numeri prior est aliâ, vt ternarius quaternario sed vna species, vt homo, non est prior aliâ, v.gr. equo.

Verum est, Vt enim numerus constat certis vnitatibus, ita essentia constat certis perfectionibus.

Falsum est ; nam si unitatem aliam pro alia substituas, erit idem numerus : si verò vnam perfectionem pro alia substituas, non erit eadem essentia.

CA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [90] - 86
PUBLIC DOMAIN

CAPVT V.

De causis omnium rerum.

AXIOMA LXIII.

CAVSA est quæ dat esse.

Verum est si det esse positiuum, & in rebus creatis.

Falsum est 1. quia priuatio dat esse priuatum, vt mors facit mortuum, nec tamen priuatio est causa, quia Nihil non potest esse causa.

Falsum est in diuinis; Deus enim Pater dat esse filio principiando, nec est causa filii.

Falsum est nisi det esse rei, non esse cognitionis. Nam mundus est causa cur cognoscamus Deum, nec tamen est causa Dei, nisi fortè Dei cogniti.

AXIOMA LXIV.

PRIMVM in vno quoque genere est causa cæterorum.

Hoc verum est in genere entis; nam

nam Deus est primum ens, ideò est causa cæterorum, Substantia est prima species entis, ideò est causa accidentium.

Verum est in omnibus analogîs, nam homo verus est prima species, ideò est causa hominis picti.

Verum est in accidentibus; ignis enim in genere calidorum est prima species, ideò est causa cæterorum calidorum.

Falsum est inter species vniuocas, homo enim prima species est, & perfectior, nec tamen est causa brutorum.

Falsum est vbi non est primum, vt in genere vniuoco nulla species est prior altera, vt homo non est prior bruto.

Verum ergo est in rebus dependentibus, vt quando sunt duæ species scientiarum, scil. scientia axiomatum, & scientia conclusionum, & quia scientia axiomatum prior est quàm scientia conclusionum; ideò scientia

axio-

axiomatum est causa alterius scientiæ.

AXIOMA LXV.

NEMO dat quod non habet.

AXIOMA LXVI.

AGENS producit sibi simile: *siue*, Simile fit à simili.

Verum est vel formaliter, vel eminenter; vt, ignis dat esse calidum, quia ipse est formaliter calidus: sol dat esse calidum, quia virtute & eminenter est calidus.

Falsum est, quia Deus annihilare potest, & tamen ille nullo modo est nihil: siquis dicat annihilare non est dare esse, Respondeo Deus tamen est causa cur aliquid annihiletur.

Falsum est quia causa nullo modo est producta, & tamen dat esse productum.

Falsum est, quia nemo dat quod habet, saltem quoad esse indiuiduum. Licèt enimin causis particularibus res pro-

producat sibi simile quoad speciem, vt homo hominem, non tamen producit simile in indiuiduo, & Petrus non est similis Paulo quoad indiuiduum.

Falsum est in causis vniuersalibus; nec enim Deus potest producere alium Deum; nec cœlum aliud cœlum.

Falsum in immortalibus; nec enim angelus potest producere alium angelum.

Falsum est, si sit aliquod impedimentum, sic enim homo impeditus producet monstrum.

Falsum est in instrumentis artificialibus, in materialibus; nec enim calamus calamum, nec quantitas quantitatem, nec materia materiam facit.

AXIOMA LXVII.

QVOD est causa causæ, est causa causati.

Verum est in causis creatis, & non libe-

liberis nam si sol producat calorem, & calor producat ranam, etiam sol producet ranam.

Falsum est in causis liberis, Deus enim est causa angelorum & hominum, & hi sunt causa peccati, Deus tamen non est author peccati.

AXIOMA LXVIII.

NEMO seipsum facit: *siue*, Nemo est causa sui ipsius.

Verum est in causa efficiente, vt tu non potuisti te generare, quia illa res, quæ facit, est: res autem quæ fit, non est: nemo autem potest simul esse, & non esse.

Falsum est in causis formalibus, nam definitio est causa definiti, & tamen secundum communem sententiam, definitio, vt animal rationale, idem est ac definitum, vt homo.

Falsum est in causa finali; finis enim causa est cur efficiens producit finem, vt sanitas causa est cur æger producat sanitatem: ergo aliquid saltem,

tem mediatè est causa sui ipsius.

AXIOMA LXIX.

NAtura facit optimum quod potest.

Verum est si non impediatur ; homo enim facit hominem, sed si impediatur facit monstrum.

Verum est, quia præstantissimum facit & præstantissimè, id est, præstantissimo modo.

Falsum tamen est si spectetur intentio secunda. Prima quidem intentione natura facere semper vult masculum, propterea quòd sit præstantior: sed per secundam intentionem, quia non potest producere masculum absque fœmella, etiam intendit fœmellam, licèt fœmella sit deterior, siue sit animal occasionatum, siue malum necessarium, siue principium monstrorum, vt loquitur Aristoteles.

AXIOMA LXX.

MELIVS est dare, quàm accipere.

AXIO-

AXIOMA LXXI.

NObilior est causa suo effectu.

Verum est; is enim qui dat esse, habet esse: & is qui accipit esse, non habet esse; melius autem est esse quàm non esse.

Verum est in mortalibus & bonis: Si enim dare eleemosynam bonum est, melior est voluntas & recta ratio à quibus eleemosyna bonitatem mutuatur.

Falsum est in moralibus & malis nam furtum malum est, & tamen peior est voluntas propter quam furtum malum est.

Falsum est, si dando aliquid esse, perdimus esse: vt q i dat diuitias, eas perdit, est melius eas non dare, quàm dare.

Pariter spiritualia & æterna, vt angelus, & cœlum, præstantiora sunt non dando non generando, quàm si generarent, quæ enim generant, per-

perdunt esse, & mortalia sunt : vt plantæ, animalia.

Verum est si aliquid det per communicationem, nihil perdendo. Sic sigillum sigillando dat esse, & melius est, quia bonum est, & sui communicatiuum.

Falsum est in accidentibus ; nec enim est nobilius accidens quàm substantia, licèt per accidens tanquam per instrumentum substantia fiat, vt per calorem ignis fit.

Verum est eo modo quo dat esse, vt materia non est nobilior homine, sed tantùm est nobilior homine vt materialis est quia materia dat *illi* esse materiale.

AXIOMA LXXII.

QVODLIBET non agit in quodlibet.

Verum est ; magnes enim attrahit ferrum, non alia : oculus videt colorem non calorem.

Fal-

Falsum est diuinitùs : Deus agit , imò etiam agit in nihil.

Falsum est de intellectu qui ens omne & omne nihil intelligit.

Verum tamen est quatenus vbique debet esse proportio & commensuratio , verb. grat. visus non videt maximum visibile , scil. solem ; nec videt minimum visibile , verb. grat. atomum.

AXIOMA LXXIII.

PROPTER quod vnum quodque tale , & illud magis.

Vt : Si sim calidus propter ignem ignis est magis calidus.

Verum est in analogis , vt , homo pictus , est homo propter verum hominem : ergo verus est magis homo.

Falsum est in vniuocis ; hæc enim planta est planta propter eam , quæ generauit , & tamen generans planta non est magis planta.

Falsum est in illis quæ non recipiunt magis & minùs 1. in quantitatem ,

ergo

ſum quantus propter quantitatem, ergo quantitas eſt magis quanta, non ſequitur. 2. in qualitatibus abſtractis ſum enim calidus propter calorem, non tamen calor eſt magis calidus.

Falſum eſt, niſi eadem forma vtrique conueniat: vt, eſt ebrius propter vinum. Ergo vinum cum eſt magis ebrius, non ſequitur, quia ebrietas non conuenit vino.

Falſum eſt in ſubſtantiis ſecundis, ſed verum eſt in primis ſubſtantiis: vt, ego ſum animal rationale propter hominem, ergo homo magis eſt animal rationale, non ſequitur. Sed ſequitur homo eſt ſubſtantia ſubſiſtens propter Petrum, ergo Petrus eſt magis ſubſtantia, vt c. de Subſtantia docetur.

AXIOMA LXXIV.

CAVSA eſt, propter quod aliquid eſt.

Verum eſt ut diſtinguitur cauſa à principio, quia principium poteſt eſſe

esse non ens ; vt principium mundi fuit nihil , nec tamen per nihil tanquam per principium mundus esse potest, sed tantùm est propter suam causam quæ ipsi dat esse propter materiam, formam &c.

Falsum est quatenus priuatio dat esse priuatum nec tamen priuatio causa est.

Falsum est in relatis ; filius enim est propter patrem & tamen pater non est causa filii.

AXIOMA LXXV.

IDEM, quatenus idem , facit idem.

AXIOMA LXXVI.

NATVRA determinatur ad vnum.

Verum est de agente naturali ; nec enim calor facere potest nisi calorem, non autem frigus.

Non est verum de agente libero ; homo enim & ridere & flere potest.

Per accidens non est verum, quia

frigus per antiperiſtaſin calefacit, & calor frigefacit.

Diſtinguo. Idem nauta præſens eſt cauſa ſalutis, abſens eſt cauſa naufragii.

Diſtinguo: Si habeat eundem finem, concedo; aliàs, nego. Nam idem aër aſcendit & deſcendit pro diuerſo fine: aſcendit ex terra, vt ſit ſupra graue, deſcendit ex cœlo vt ſit infra leue.

Diſtinguo: Vnum facit naturaliter, alterum intentionaliter; vt, eadem campana facit ſonum realem & intentionalem.

Diſtinguo. Idem facit diuerſum pro diverſitate materiæ; ſic calor liquefacit ceram, & indurat lutum.

Diſtinguo. Idem facit idem ſecundùm vnam potentiam, facit autem diuerſa ſecundùm diuerſas potentias.

Item: Vnum determinatum eſt ad vnum non opus, ſed ad vnum modum agendi. Sic calor omnia eodem modo calefacit.

AXIO-

AXIOMA LXXVII.

NIHIL agit in seipsum.

Verum est quatenus qui aliquid agit, producit in aliquo aliquid quod non habet; vt ignis calorem in ligno. Iam verò ignis non producit calorem in seipso.

Falsum est; quia aliquid seipsum perficere potest, vt aqua calefacta potest seipsam reducere ad frigus, & perficere, ita intellectus intelligendo seipsum perficit.

Falsum est, quia aliquid seipsum potest corrumpere Sic hepar si nimis calefaciat stomachum, stomachum corrumpit, qui corruptus corrumpit hepar: ergo aliquid seipsum corrumpit.

AXIOMA LXXVIII.

EÒ omnia, vnde.

Id est Eò omnia tendunt vnde facta sunt: vt, res naturales ex materia

& ex nihilo factæ ſunt, ideò tendunt & reſoluuntur in materiam, & in nihil. Sic fluuii ex mari & in mare reddunt. Sic creaturæ à Deo, & ad Deum, Sic omnia à fine, & ad finem.

Falſum tamen eſt de cauſa efficiente; cùm enim res factæ ſint à progenitoribus, non tendunt ad progenitores, quia nullus effectus facere poteſt cauſam ſuam.

AXIOMA LXXIX.

SVBLATA causâ, tollitur effectus.

Verum eſt ſi effectus dependeat & ineſſe, & in fieri à cauſa; vt ſublato ſole, tollitur dies, quia vt fiat, & vt ſit dies, dependet à ſole.

Verum eſt de cauſis internis; vt ſublatâ materiâ & formâ, tollitur homo.

Falſum de externis; nam ſublato architecto, non tollitur domus.

Falſum eſt de omni materia nam ex farina fit panis, ſublatâ tamen farinâ adhuc eſt panis. Ve-

Verum est absolutè de Deo.

AXIOMA LXXX.

NON datur actio indistans.

Verum est. Quicquid enim in aliud agit, debet ipsum aliquo modo tangere vel corporaliter, vel spiritualiter; vel pe[illegible]liquam proprietatem ab eo transm[illegible]am, sic sol nos lumine tangit.

Verum est præparatiuè, sed non inductiuè; vt, sol præparat lumine & calore terram, in quam posteà producit ranam, sed non per calorem, sed absentis.

Falsum est in similitudine, aliisque relationibus, nam hodie in India aliquis tibi sit similis.

Falsum est de fine, finis enim absens, etiamsi non cognoscatur, mouet lapidem ad descendendum, & vt petat centrum, licèt centrum non cognoscat.

Falsum est de causa absente; nauta enim absens causa est naufragii.

AXIOMA LXXXI.

DATVR gradus ſterilis, *ſiue*, Datur ſphæra actiuitatis.

Id eſt, res finita non agit in finitum, ideò certos habet terminos & finem agendi, qui vocatur ſphæra actiuitatis, ſiue gradus ſterilis, quia non vlterius agere poteſt.

Verum eſt in accidentibus cùm enim calidum octo gradus calefacit in vicino aëre, facit calorem ſeptem graduum, & hic aër calidus in vicino aëre producit calorem ſex graduum, & ſic imminuendo donec perueniatur ad gradum qui non amplius calefacere poterit; aliàs vnus ignis vniuerſum poſſet mundum calefacere.

Verum eſt in artificialibus, cum enim domus mentalis producit materialem, hæc non poteſt aliam producere.

Falſum eſt in ſubſtantiis, nam hic ignis producit ignem alterum, & hic tertium, & tertius quartum, & ſic in infi-

infinitum. Sic homo hominem, planta plantam in infinitum: aliàs si hoc non esset; naturaliter generationes rerum cessarent; & quotidie homines & aliæ res fierent minores, quod falsissimum.

Dicunt; Non datur progressus in infinitum.

Respondeo; In causis, concedo: in effectibus, nego.

AXIOMA LXXXII.

OMNE agens agendo repatitur.

Verum est in materialibus; vt, qui lignum, &c. verberat; repatitur, & lassatur: & nos agimus in cibum sumptum, à quo tandem ita repatimur, vt moriendum sit.

Falsum est si res non habeant eandem materiam; nam cœlum agit in nos à quibus nil repatitur.

Falsum est, si spiritale agat in materiale; vt anima agendo in corpus, nil à corpore patitur.

CAPVT VI.

De proprietatibus omnium rerum.

AXIOMA LXXXIII.

ENs est vnum.

Verum est; Eo ipso enim quod homo amplius non vnus est, omnino non est.

Verum est, quia vniuersus mundus corporeus est vnus materialiter, propter eandem omnium rerum materiam.

Verum est Platonicè, si sit vna anima mundi, sic enim omnia erunt vnum formaliter.

Falsum est, si per vnum intelligas vnum simplex, non compositum, eo modo quo vnum est principium numeri nam, excepto Deo, res omnis est composita.

AXIOMA LXXXIV.

VNVM est in se indiuisum, & diuisum à quouis alio.

Id

Id est, eo modo quo aliquid vnum est, diuidi nequit; vt; Petrus est vnus numero, ideò nequit diuidi in plures numero. Substantia est vnum genus generalissimum, ideò nequit diuidi in plura genera generalissima. Falsum est, quatenus, excepto Deo, omnis res aliquo modo diuidi potest, vt in essentiam & existentiam, in potentiam & actum.

Diuisum à quouis alio, id est, distinctum & excludens omne aliud.

AXIOMA LXXXV.

OMNE ens est bonum.

AXIOMA LXXXVI.

MELIVS est esse, quam non esse.

Verum est, Cùm enim ens vel sit Deus, vel à Deo, & Deus sit ipsa bonitas, & à bonitate non possit fieri malum, sicut nec ab albedine nigrum, certè omne ens est bonum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [109] - 105
PUBLIC DOMAIN

Falsum est, si esse conjungatur priuationibus. Priuatio enim est sed est malefica, & mala; vt cæcitas est mala, homo cæcus malum est; ita homo auarus malum est, quia priuat aliquo ente.

Nec Diabolus, aut Iudas malus secundum naturam, sed quatenus habent non aliquod ens ipsis debitum.

AXIOMA LXXXVII.

DVo bona sunt præstantiora vno.

Verum est, si sint diuersæ aut eiusdem naturæ, vt, substantia & accidens meliora sunt quàm sola substantia.

Falsum est, si vnum ad aliud referatur tanquam medium ad finem: vt studium & sapientia sunt duo bona: item curatio & sanitas sunt duo bona; melior tamen est sola sapientia, aut sola sanitas. Ita Arist. in Topicis.

AXIOMA LXXXVIII.

MELIVS est, quod est diuturnius.

Ab-

Absolutè verum est, vt, Deus est præstantior mundo, angeli homine, quia maiorem habent perfectionis durationem.

Falsum est in eadem natura; non enim albedo quæ diutiùs fuit, melior est quàm albedo vnius diei.

Falsum est, si forma comparetur cum materia, vt licèt materia mea diutiùs fuerit quàm anima mea, non tamen ideò melior est.

AXIOMA LXXXIX.

BONVM est quod omnia appetunt.

AXIOMA XC.

BONVM est sui communicatiuum.

Verum est, quia, malum non dat esse, sed auffert, ideò non se communicat; quia cæcitas non se communicat, quia nihil dat sed priùs aufert.

Falsum est in indiuiduis; Licèt enim Petrus sit bonum, non tamen sei-

pſum indiuiduum communicare poteſt: nec angelus alium angelum facere: imò res ſpiritales & immortales nec ſecundùm ſpeciem ſe communicant: Nam cœlum non facit aliud cœlum nec Deus Deum.

Omnia bonum appetunt, vel reale, vel apparens.

Falſum tamen eſt in agente libero, ex ſententia Ockan id eſt; poteſt enim homo appetere malum qua malum eſt (inquit) non alio ratione, quàm quòd liber eſt.

AXIOMA XCI.

QVOD eſt in genere præſtantius eſt & melius, quàm quod non eſt in genere.

Verum eſt in abſtractis reſpectu concretorum; melius enim eſt bonum iuſtitia, quàm Iuſtus (inquit Ariſtoteles.)

Falſum tamen eſt, quia Deus in nullo genere eſt, & tamen eſt optimus.

Ite-

Iterum falsum est, quia essentiæ si abstrahantur à modis essendi, non sunt in genere, siue prædicamento, vt humanitas, animalitas; & tamen essentiæ meliores sunt.

AXIOMA XCII.

BONVM ex integra causa, & malum ex quouis defectu.

AXIOMA XCIII.

EFFECTVS sequitur deteriorem partem suæ causæ.

Cùm enim bonum sit perfectum, siue cùm idem sit esse bonum & perfectum, certè si vel minimum deficiat, malum est, adeoque imperfectum sed vbi minimus defectus est, aliquid imperfectum est ideoque malum.

Falsum est, absolutè loquendo: nam sine dubio Deus adhuc plures species rerum creare potest, non tamen ideò mundus malus est, quia hæ species deficiunt.

Quod autem effectus ſequatur deriorem partem, inde conſtat quod facilius ſit deficere, quàm perficere.

Non tamen abſolutè verum eſt, cùm perfectum multis partibus ſuperat imperfectum, v. gr. ſit gutta aquæ, & centum vini guttæ; effectus qui inde ſequetur non erit aqua, ſed vinum, quia vinum perfectius multis partibus ſuperat aquam.

Propriè tamen verum eſt apud Logicos, cùm ex propoſitione vniuerſali & particulari, ſequitur particularis deterior, & ex affirmatiua ac negatiua ſequitur concluſio negans, quæ eſt deterior.

AXIOMA XCIV.

QVOD eſt ſimilius meliori, eſt melius.

AXIOMA XCV.

QVOD eſt in meliori, eſt melius.

Verum eſt in ſeriis, vt, qui ſimilior eſt

est optimo duci belli, is melior dux est: & brutum quod similius est homini melius est.

Falsum est in ridiculis, inquit Aristoteles nam simia similior est homini, quàm equus; non tamen est melior.

Sed distinguendum. Aliud enim similius est in perfectiori essentia, hoc modo homo melior est quàm cœlum, quia propter essentiæ perfectionem similior est Deo. Alia similitudo est secundùm causationem; hoc modo cœlum perfectius est quàm sit homo; quia cœlum plura causat quàm homo.

Iterum similitudo est vel realis, vel intentionalis. Licèt igitur homo pictus, aut imago in speculo sit similior quàm alius homo verus, non tamen est præstantior.

Alterum verum est; ideò præstantior est sapientia, quâm temperantia, quia sapientia in Deo est, temperantia non est.

Fal-

Falsum tamen est, nisi sint res eiusdem generis: nam in angelis est malitia, nulla autem est in bruto, non tamen ideò præstantior est malitia quæ est in angelo, quàm passio aliqua quæ est in bruto.

AXIOMA XCVI.

VIRTVS vnita est fortior seipsâ dispersâ.

Hoc verum est, si intelligas per vnitum, non esse dissipatum; sic enim calor ventriculi hyeme, est fortior, quia non dissipatur.

Verum est in politicis; sic vniti Galli quàm dissipati fortiores.

Verum in actionibus naturalibus: sic vox aliqua clamans vnà cum aliis vocibus, longiùs auditur.

Non tamen verum est quod aliquid quo magis est vnitum, eo sit fortius, quia res naturales habent certum terminum magnitudinis & condensationis: hinc non est fortior homo quo magis vnitus & paruus est: nec ignis

gnis est fortior quo magis condensatus est : si enim nimis condensetur, perit.

Hoc verum est in calore cœlesti. Res enim sublunares non possunt habere nimium caloris cœlestis, sed possunt nimis habere caloris elementaris : hinc horrida hyeme si calor in animalibus aut plantis nimis vniatur, perit, & perimit.

AXIOMA CXVII.

QVÆ distinguuntur realiter, separata esse possunt.

Verum est communiter. Sic albedo & dulcedo, licet in eadem re reperiantur, quia tamen realiter distinguuntur, separata esse possunt.

Falsum est in relatis, nec enim pater separatus & solitarius à filio esse potest.

Falsum est in Deo, & mundo ; licèt enim hæc realiter distinguantur, non tamen mundus esse potest absque Deo.

Fal-

Falsum est in partibus & toto : licet enim partes realiter distinguantur à toto, non tamen absque toto esse possunt, nec è contra.

AXIOMA XCVIII.

OMNE ens est verum:
Omnis res est vera.

Verum est, quia omnis res eo ipso quod est, vel est exemplar, vel exemplum, seu exemplificatum. Omne autem exemplar verum est, & exemplum verum est quia exemplaris exemplum est.

Verum est, quia omnis res vel est intellectus diuinus, vel conueniens intellectui diuino.

Falsum tamen est de apparentia. Id enim quod apparet verum, siue quia est probabile, nec verum, nec falsum est, sed tantùm est verum, siue probabile.

AXIOMA XCIX.

VERITAS facillima.

Ve-

Verum est de axiomatibus de quibus Aristoteles ait. Quis potest aberrare à ianua?

Verum est quatenus omnes saltem aliquid de veritate dicunt.

Falsum est quatenus nemo vnus omnem nouit veritatem.

Falsum est quatenus nemo totum & partes nouit: nouimus enim quid sit homo brutum &c. omnes tamen eius partes, vltimasque partium differentias nemo nouit.

Falsum est respectu nostri, qui respectu rerum clarissimarum habemus intellectum ita imbecillem, vt sicut noctua solem intueri nequit, ita nec nos clarissima naturæ intelligimus.

AXIOMA C.

VT se res habet ad esse, ita ad veritatem.

Id est, Quomodo res est, eo modo vera est.

Si prius res est, priùs vera est. Sic Deus priùs verus est, quam mundus.

Quo

Quo res magis est, pluresque habet perfectiones, eò magis vera est. Sic Deus magis verus est quàm mundus.

Falsum est respectu nostri: non enim vt res est, ita nobis vera est, licèt sit vera naturæ.

AXIOMA CI.

VERVM vero concordat.

Id est, nulla veritas alteri opposita est, nec aliam destruit. Sicut autem virtutes consentiunt, vitium autem tam virtuti quàm vitio oppositum est, ita falsum & falso oppositum est, & vero: sed verum non opponitur vero.

Falsum est quoad actum simul inexistendi; licèt enim tam fides, quàm scientia vera sint, nec opposita, non tamen eodem instanti aliquis potest exercere actum fidei & scientiæ.

AXIO-

AXIOMA CII.

QVICQVID est, vel est totum, vel pars.

AXIOMA CIII.

OMNE totum est maius suâ parte.

Verum est in rebus omnibus creatis: Quæuis enim vel est pars alterius, vel totum alterius.

Falsum est in Deo qui nec pars nec totum est.

Falsum in accidentibus, quatenus nec sunt totum nec pars rei in qua res sunt.

Falsum in priuationibus; Cæcitas enim nullius totum, nullius pars est.

Quod totum sit maius parte, verum est in rebus extensis, vt, homo maior est quàm manus.

Falsum est in rebus quæ sese penetrant diuinitùs; homo enim si penetret manum, non maior erit actualiter, nec longior, quàm manus.

Fal-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [121] - 117
PUBLIC DOMAIN

Falsum est in rebus non habentibus quantitatem. Auferat enim Deus quantitatem ab homine, non erit maior quàm manus : imò iam de facto homo totus non est maior quàm suum corpus , quatenus anima nullo modo est magna.

AXIOMA CIV.

TOTVM est extra quod nihil est.

AXIOMA CV.

INFINITVM est extra quod semper aliud est.

Verum est de toto Eo ipso enim, quod aliquid esset extra , iam non esset totum ; vt , si pars aliqua extra me esset , totum non essem.

Falsum est tamen de toto potentiali siue vniuersali. Totum enim vniuersale est extra quod omnes sunt partes , vt , animal totum est respectu hominis & bruti , & tamen homo & brutum sunt extra animal.

Ve-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [122] - 118
PUBLIC DOMAIN

Verum est communiter cum ista distinctione (totaliter) Sic enim dicunt. Anima mea est tota in capite, sed non totaliter.

Sed verum absolutè videtur Ockamo, ideoque ait, hominem verb. gr. non esse in Petro, eum qui est in Paulo, sed tantùm similem; quia si Petrus haberet totum hominem, nihil extra Petrum esset hominis.

Verum est *de infinito*, quia quibuscunque partibus assignatis semper alias oportet assignare: alias non esset infinitum.

Si dicas; Deus est infinitus, extra quem nihil est accipere. Respondeo secundùm humanum intellectum, quibuscunque assignatis & intellectis adhuc alia intelligere & assignare oportet.

AXIOMA CVI.

OMNIS res vel est finita, vel infinita.

Verum est secundùm essentiam.

Deus

Deus enim infinitus est secundùm essentiam ; aliæ autem res omnes secundùm essentiam sunt finitæ.

Verùm est secundùm entitatem ; vnusquisque enim homo finitam habet entitatem: omnes autem homines simul habent entitatem infinitam.

Falsum est, si propriè sumas ; quia res quæ non sunt quantæ, nec sunt finitæ, nec infinitæ, si quantitatis proprium sit esse finitam, vel infinitam.

Falsum est, de ipso fine : finis enim nec finitus est : sicuti albedo nec alba, nec nigra est.

AXIOMA CVII.

PERFECTVM est, quod tale facere potest, quale ipsum est.

AXIOMA CVIII.

NATURALISSIMVM est opus generare.

Verum est in rebus corruptibilibus : Si homo perfectus censetur cùm sibi

sibi similem facere potest; ideoque nec pueri, nec senes perfecti censentur, &c.

Falsum est in spiritalibus & immortalibus; nec enim Deus Deum nec angelus angelum facere potest.

Falsum est in potentiis passiuis: nec enim materia facit materiam, nec duritiem lapidis facit duritiem.

Falsum est in singularibus: nec enim Petrus potest tale facere quale ipsum est in singulari.

Ideoque naturalissimum est quod magis naturale sit conseruatio speciei, quàm conseruatio singularis.

AXIOMA CIX.

QVICQVID est, vel est vniuersale, vel est particulare.

Verum est, ex communi sententia scholarum.

Falsum est, quia datur essentia ipsa, quæ indifferens est vt sit vniuersalis, vel singularis. Essentiæ enim tantùm sunt vniuersales, aut singulares

per respectum ad indiuidua; in se autem, & ex se,& respectu sui ipsius nulla essentia est vniuersalis, vel singularis.

Falsum est de Deo, nec enim est vniuersalis, vt constat, nec singularis; quia omne singulare est sub aliqua specie; nulla autem est species Dei.

Falsum est de analogis & æquiuocis: Gallus enim nec est vniuersalis, nec particularis.

AXIOMA CX.

OMNIS res vel est spiritalis, vel materialis, vel media.

Verum est, quia omnis res vel est metaphysica, seu spiritalis: vel physica, seu naturalis: vel mathematica, seu media.

Verum est in substantiis, vt, angelus est spiritalis, brutum materiale, homo est medius ex vtroque.

Verum est adhuc, quia substantia vt est genus, nec est materialis, nec spiritalis, sed abstrahit.

Ve-

Verum est in accidentibus, datur enim accidens spiritale, datur materiale, & inseparabile: vt similitas à naso: & datur medium quod re non est separabile, est tamen separabile per intellectum, vt curuitas.

AXIOMA CXI.

CIRCA vnum genus, est vna scientia, est vnus sensus.

Verum est vt *Physica* est de corpore naturali, auditus est de sono.

Falsum est, si intelligas vnum genus rerum. Cùm enim tantùm sunt decem genera, seu prædicamenta, sequeretur vnam scientiam esse de Substantia, & aliàm de Quantitate, &c. & tamen plures sunt scientiæ de Substantia, & vna scientia tractat de corpore & quantitate, vt Physica.

Falsum est, nisi comprehendas genus rerum, vel verum, vel apparens. Sic enim oculus est circa colorem verum, & colorem apparentem, qui tamen non sunt vnius generis.

AXIOMA CXII.

CVM genus est in vno prædicamento, species est in eodem.

Communissimè verum est, vt, si animal est substantia, homo etiam est Solus tamen Aristoteles exceptionem posuit cap. de Qualitate & Relatis: vbi ait scientiam esse in genere Relatorum; ait enim scientiam esse rei scibilis scientiam: speciesl autem scientiæ non esse in genere Relatorum; ait enim Grammaticam non esse rei grammaticabilis grammaticam.

AXIOMA CXIII.

SCIENTIÆ per formale obiectum distinguuntur.

Verum est, si loquamur de formalitate quæ in ipso obiecto reperitur; sic enim homo ſ, quatenus sanabilis, distinguit Medicinam à physica considerante hominem vt est mobilis. Solus

lus tamen Zabarella exceptionem posuit: Nam formalitas scientiæ, siue formalitas quæ in ipsa scientia reperitur, non distinguit scientiam vnam ab alia. Nam omnes scientiæ formaliter nihil aliud sunt quàm bonus discursus; & bene factus: sed per bonum discursum & bene factum vna scientia non distinguitur ab alia.

AXIOMA CXIV.

OMNIS res habet certos terminos magnitudinis & paruitatis.

Verum est in rebus naturalibus viuentibus; nec enim homo magnitudinem montis, aut paruitatem pulicis habere potest.

Falsum est in rebus naturalibus non viuentibus, ignis enim in quauis magnitudine, in quauis paruitate esse potest.

Falsum est de spiritalibus, potest enim angelus vnus vel vniuersum replere mundum, vel esse in vno puncto totus.

Falsum est de rebus naturalibus diuinitùs; potest enim homo per penetrationem esse vel in vno puncto.

Verum est de qualitatum intensione, quia ignis magis calidus fieri non potest.

AXIOMA CXV.

OMNIS res est qualis, seu talis.

AXIOMA CXVI.

QVALE est actiuum, aut passiuum.

Verum est, quia omnis res, excepto Deo, aliquid pati potest.

Verum est quod omnis res, exceptâ materiâ, aliquid agere potest.

Verum est quod omnis qualitas sit actiua, vel saltem modificatiua actionum, vnde etiam ipsæ figuræ licèt non sint actiuæ tamen modificatiuæ, vt figura rotunda, non quidem mouet, aut agit, modificat tamen actionem.

AXIO-

AXIOMA CXVII.

QVOD nunquam est, & nusquam est, non est.

Id est, Quod non est in loco, aut tempore, non est.

Verum est de rebus existentibus naturalibus, vt de Petro, de planta, &c.

Non verum est de essentiis; hæ enim nunquam & nusquam sunt, & tamen essentiæ sunt: imo essentiæ & vniuersalia abstrahunt ab hîc & nunc, & à loco & tempore.

Falsum est de Deo, qui nullo loco, nullo tempore concluditur.

Falsum est de vltimo cœlo, atque adeò de mundo. Mundus enim, ex Aristotele, nullibi est: quandoquidem nullus locus sit realis qui mundum contineat.

AXIOMA CXVIII.

OMNE ens est enti oppositum.

Verum est secundùm propriam ra-

tionem; Sic homo oppositus bruto; morbus sanitati.

Verum est etiam in ratione entis, quia substantia, quatenus ens est, opposita est accidenti.

Falsum est quod dicunt ens in ratione entis alii non esse oppositum; etenim quidquid opponitur alteri, per ens opponitur, ideoque nihil habent res commune in ente nisi analogiam.

Potest tamen ens per non ens opponi enti; vt homo per cæcitatem alii opponitur.

AXIOMA CXIX.

VNVM vni contrarium est.

Verum est communiter; Calor enim non est nisi frigori contrarius.

Falsum tamen est, si comparetur contrarium cum medio exclusionis: nam auaritia contraria est prodigalitati tanquam vitio extremo, & contraria est liberalitati, tanquam medio exclusionis. Fal-

Falsum etiam est quatenus vnum vno modo alii est oppositum, alio verò modo alteri est contrarium, v. gr. calor contrarius est & frigori, & non frigori.

AXIOMA CXX.

A PRIVATIONE ad habitum non datur regressus.

Verum est naturaliter, quia nec ad eundem actum, nec ad eandem potentiam regredi possumus: vt; si quis amisit visum nec eundem actu visum nec eandem potentiam videndi vnquam acquirere potest.

Falsum est diuinitùs: nam & eundem visum, & eandem potentiam videndi acquirere potest cæcus. Nec enim maior est difficultas cur Deus non possit reproducere rem quàm producere.

Falsum est naturaliter, si partes omnes maneant. Nam si hæc cathedra dissoluatur, & meneant partes, eadem cathedra naturaliter fieri potest.

AXIOMA CXXI.

QVOD alii opponitur, vel in qualitate, vel quantitate opponitur.

Verum est nam quidam, & omnis homo in quantitate opponuntur: homo & brutum in qualitate & differentia opponuntur.

Homo est, homo non est, in qualitate opponuntur.

Falsum tamen est in qualitate accidentali, siue secundùm veritatem & falsitatem; nam Omnis homo doctus, Nullus homo est doctus, vtrumque falsum est.

AXIOMA CXXII.

QVICQVID omni, etiam alicui conuenit.

AXIOMA CXXIII.

QVICQVID nulli, nec alicui conuenit.

Hæc duo axiomata sunt vnica regula vniuersi discursus humani; vt Omnis homo est mortalis, ergo & Petrus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [134] - 130
PUBLIC DOMAIN

Petrus: Nullus homo eſt impeccabilis, ergo nec Petrus.

Verum eſt quoad potentiam, ſed falſum quoad actum; vt, Omnis homo poteſt ridere, ergo & Petrus: Nullus homo, vniuerſaliter loquendo ridet; ergo nec Petrus: non ſequitur.

Falſum eſt collectiuè, ſed verum eſt diuiſiuè: nam omnes homines ſunt infiniti collectiuè, nullus tamen homo eſt infinitus in particulari: ſed nullus homo eſt immortalis, diuiſiuè loquendo: ergo nec Petrus.

AXIOMA CXXIV.

QVOD ſequenti negatur, negatur antecedenti.

AXIOMA CXXV.

QVOD datur antecedenti, datur conſequenti.

Conſequentia vocantur prædicata ſuperiora & vniuerſaliora, vt homo eſt animal: conſequens eſt animal, homo eſt antecedens.

Verum est. Si enim lapis non sit animal, nec hic lapis erit animal: si verò hic lapis sit corpus, etiam lapis erit corpus.

Falsum est accidentaliter. Petrus enim studet, ergo homo studet, non sequitur: hic asinus & equa faciunt hunc mulum: etgo asinus & equa faciunt mulum; non sequitur ex Porphyrio.

AXIOMA CXXVI.

QVOD natura tale, magis tale.

Verum est in cognitionibus; nam animalia, quæ naturaliter cognoscunt aliquid, magis cognoscunt quàm si per artem, aut per aliquam consuetudinem cognoscerent; & licèt dicatur consuetudo est altera natura, nihilominus dicitur.

Naturam expellas furcâ tamen usque recurret.

Verum est quoad rem, non quoad modum; homines enim naturaliter di-

discurrunt, & magis quàm per artem: sed per artem meliùs discurrunt.

AXIOMA CXXVII.

VNVM est in vno loco, & vno tempore, plura verò sunt in pluribus.

Verum est naturaliter: Ego enim tantùm in vno loco sum, & in vno tempore: nec plura possunt esse in eodem loco in quo sum, aut in eodem tempore in quo sum saltem particulari, id est, in mea duratione, aut per meam durationem nemo esse potest.

Falsum est diuinitùs: nam eodem tempore in diuersis locis esse possum, & in eodem loco diuersas possum habere durationes & diuersa tempora: quemadmodum & plura corpora diuinitùs in eodem loco esse possunt.

Vnde sequitur aliquid esse & non esse simul; possum enim esse secundùm hunc locum, & possum non es-

se secundùm alium locum in quo fueram eodem tempore.

AXIOMA CXXVIII.

MVLTVM faciliùs, quàm paucum, conseruatur.

Verum est in homogeneis, siue in rebus eiusdem naturæ; sic enim multa aqua non facilè corrumpitur.

Falsum est in rebus diuersæ naturæ; sic enim multùm aquæ & multùm vini faciliùs destruuntur.

AXIOMA CXXIX.

CORRVPTIO optimi pessima, & pessimi optima.

Verum est Si enim aqua pluuia sit omnium præstantissima, & corpus humanum præstantissimum, pluuia quæ corrumpetur, & cadauer pessimi erit odoris, &c. Si verò sit pessima aqua ex glacie, & serpens sit pessimus, cùm serpens per fulmen occiditur, non ampliùs est venenatus. Hoc a-

xio-

xioma hactenus non recepit excep-
tionem.

Caput postremum.

De potentiis rerum.

AXIOMA CXXX.

OMNE viuens vel est vegetans, vel sentiens, vel rationale.

Verum est in rebus corporeis. Vel enim aliquid est planta, vel brutum, vel homo.

Falsum est in rebus spiritalibus; Angeli enim & Deus viuunt sed sunt intelligentes.

Falsum est in cœlis, qui secundùm plerosque viuunt, sed nec vita sentiente, nec vegetante, nec rationali, sed tantùm vitâ mouente.

AXIOMA CXXXI.

ID vegetans est quod intus suscipit.

Ve-

Verum si id quod suscipitur mutetur in substantiam suscipientis, verb. grat. cùm planta in se recipit alimentum certè alimentum mutatur in plantam; ideòque planta est vegetans.

Falsum est si non commutetur; vt, aqua recipit aquam, aut terram commutat terram in suam substantiam.

Falsum est in seminibus, habent enim animam vegetantem, *nihil* tamen intus suscipiunt.

AXIOMA CXXXII.

SENTIENS cognoscit materiale immaterialiter.

Verum est: Quandoquidem visus cognoscit colorem non recipiendo colorem materialem, sed recipiendo speciem seu imaginem coloris immaterialem.

Falsum est de lumine; nam visus cognoscit lumen per lumen, siue cognoscit materiale per materiale.

AXIO-

AXIOMA CXXXIII.

SENSVS est singularium, intellectus vniuersalium.

Verum est quod sensus externus cognoscit rem singularem existentem, vt visus hunc colorem: sensus autem internus vt memoria, cognoscit rem singularem etiam non existentem, sicut recordor patris non existentis.

Falsum tamen est, quia intellectus etiam cognoscit Deum singularissimum, & cognoscit Petrum.

AXIOMA CXXXIV.

NIHIL est intellectu, quod priùs non fuerit in sensu.

Verum est de accidentibus sensibilibus, quia intellectus nec colorem, nec odorem, nec saporem, nec sonum cognosceret, nisi per sensum cognouisset.

Falsum est de priuationibus. Intelligo enim cæcitatem, licèt nunquam sensu cognouerim. Fal-

Falsum est de substantia intelligo enim substantias naturales, licèt nullo sensu percipiantur.

Falsum est absolutè; nam color nunquam fuit in sensu sed tantùm imago coloris. Cùm enim video colorem parietis, non est color iste in oculo subiectiuè, sed tantùm obiectiuè, siue tantum imago coloris est in sensu.

Falsum est, nisi loquaris per effectus: Sic anima fuit in sensu: vel per similitudinem: Sic Constantinopolis fuit in sensu per Parisios: Vel per partes; sic mons aureus fuit in sensu.

AXIOMA CXXXV.

RECIPIENS est denudatum â natura recipientis.

Verum est. Sic enim lignum recipit calorem, non autem habet calorem; ideò enim ignis non recipit calorem, quia iam habet calorem.

Falsum est de natura generica. Licèt

cèt enim lignum sit ens, nihilominus tamen recipit calorem qui est ens.

Falsum est de intellectu ; hic enim est spiritalis, & tamen recipit spiritalia.

AXIOMA CXXXVI.

MAGNVM sensibile destruit, magnum autem intelligibile perficit.

Verum est, quia visus noster nec potest solem maximè visibilem videre, nec atomum nimis parum visibilem. Intellectus verò quo intelligit maiora & perfectiora, eo magis perficitur, vt intelligendo Deum : & quo intelligit minora, eò magis perficitur ; vt intelligendo puncta, priuationes & non entia.

Falsum tamen est respectu absoluto nam propter imbecillitatem visus non videt solem, sicut aquila. Præterea intellectus incipientium non perficitur intelligendo perfectiora

&

& minutiora, sed tantum intellectus hominum perfectorum.

AXIOMA CXXXVII.

VNIVERSALE notius singulari.

Verum est de cognitione confusa; nam facilius cognosco totam domum confusè, quam omnes partes domus distinctè.

Falsum tamen est *si loquamur* de cognitione perfecta; docti enim facilius cognoscunt, & notiores habent causas vniuersales quàm singulares: item partem tâm totum, propterea qnod cognoscunt totum per partes: ergò partes magis cognoscunt.

Falsum est absoltè: nam vniuersalia sunt remotiora à sensu, ideoque difficilius cognoscuntur.

AXIOMA CXXXVIII.

HOMO naturaliter scire desiderat.

Ve-

Verum est, dummodò facile possit.

Verum est, nisi voluptate impediatur.

Verum est; quia res quæuis cupit perfici, actio autem intellectus est perfectio eiusdem.

Verum est, quæuis enim res cupit coniungi cum suo princpio. Deus autem Princeps est intelligibilium.

Falsum tamen est si homo consideretur in statu perfecto. Sic enim non haberet indigentiam; quandoquidem vt angeli scientiam haberet, ideoque nec desideraret.

AXIOMA CXXXIX.

OMNIS cognitio est bona.

Cognoscere bonum est; sed efficere quæ cognoscimus non semper bonum: vt, facere flagitia malum est: cognoscere flagitia bonum est.

Falsum est, si cognitio bona coniungatur cum alia mala; Sic enim mala

la erit; ut si dicam : omnis homo est immortalis : Petrus est homo : Ergo Petrus est immortalis.

Falsum est respectu quorundam. Vt enim vinum ægris bonum non est, ita nec scientia malis bona est.

AXIOMA CXL.

OMNIS cognitio nostra intellectiua est ex antecedente cognitione.

Verum est, quia omnis conclusio fit ex antecedente.

Verum est, quia omne antecedens fit ex cognitione terminorum.

Verum est cognitio terminorum præsupponit cognitionem sensitiuam; nec enim cœcus intelligit colorem nisi viderit.

Falsum tamen est, quia non omnis cognitio intellectus præsupponit aliam, sed tantum axiomata, aliàs daretur progressus in infinitum.

AXIO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [146] - 142
PUBLIC DOMAIN

AXIOMA CXLI.

LOQVENDVM ut multi sapiendum ut pauci.

Verum est, quia vulgus est dominus verborum, ideoque siquis aliter loqueretur esset necessariò obscurus: ideoque verbis inusitatibus non est loquendum.

Falsum est si nouæ res reperiantur â sapientibus, tunc enim sapientes aliter loquuntur.

Verum est, significationem vocabulorum permissam vulgo; sed quid res sint, hoc sapientibus tantùm permissum est.

Falsum est in iure naturali & iure gentium; illic enim vox populi est vox Dei: & quod omnes loquantur, id probabilissimum est.

AXIOMA CXLII.

SCIENTIA est de æternis.

Verum est, 1. de essentiis & proprie-

prietatibus, 2. de existentia Dei.

Falsum tamen est absolutè; quia, ut monui, nullæ essentiæ absolutè sunt æternæ.

2. Falsum est, quia qui scit vniuersale, ille etiam nouit omnia singularia: aut qui omnia singularia nouit, is nouit vniuersale: & tamen nec singularia, nec vniuersalia sunt æterna,

AXIOMA CLXIII.

INTELLECTVS facit omnia, & intelligit omnia.

Verum est; quia intellectus tanquam speculum recipit omnes rerum imagines, & eas facit ideoque, ut in speculo cum apparet imago arboris illic censetur, & vocatur arbor: Ita cum intellectus faciat & recipiat omnium rerum imagines, omnia facit & fit.

Sed falsum est realiter; nullus enim intellectus realiter est omnia præter intellectum diuinum, & solus intel-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [148] - 144
PUBLIC DOMAIN

tellectus diuinus res omnes facit.

AXIOMA CXLIV.

SIMILE ſimili gaudet & ignoti nulla cupido.

Verum eſt prius, dummodo id quod ſimile eſt alterum perficere poſſit.

Falſum eſt, quia diſſimile appetit diſſimile quod perfectius eſt. Sic materia appetit formam, & res imperfecta cupit perfici.

Verum eſt poſterius in rebus ſentientibus, ratiocinantibus & intelligentibus.

Sed falſum eſt abſolutè, quia omnis potentia ad ſuum actum & ad ſuum obiectum fertur naturali impetu & cæco, etiamſi non cognoſcat.

AXIOMA CXLV.

SAPIENTIS eſt ordinare & docere.

Verum eſt; nam qui cauſas nouit, docere poteſt & ordinare.

Hinc non colligitur aliquem esse sapientem, etiamsi aliquid faciat secundum regulas; nisi possit docere. Potest fieri vt aliquis per experientiam aliqua faciat, sapiens tamen non est, nisi sciat, siue nisi docere possit.

Ordinat autem sapiens actiones mentis, actiones appetituum, actiones potentiæ mouentis.

AXIOMA CXLVI.

ABSTRAHENTIVM non est mendacium.

Verum est, si una res cum alia sit coniuncta, eam separatim intelligas, vt, intelligi potest rationale sine risibili.

Falsum est in essentialibus, si enim aliquis vellet intelligere hominem; eiusque naturam absque materia, is erraret.

Falsum est in proprietatibus, si aliquis eas vellet negare, aut intelligere absque subiecto cuius sunt proprie-

ta-

tates: vt qui vellet risibile definire absque homine, aut par, aut impar absque numero, aut negare hominem esse risibilem.

AXIOMA CXLVII.

IN omni re naturali est proportio, & mutua compassio formæ & materiæ, siue animæ siue corporis.

Verum est. Cum enim anima tristatur, corpus marcescit; cùm anima lætatur corpus efflorescit.

Verum est quatenus passiones animæ sunt causæ morborum & variorum colorum, ut in ira & tristitia patet.

Verum est quatenus nunquam formæ huius humanæ datur corpus bruti aut plantæ.

Verum est. Cum enim corpus patitur, anima contabescit.

Falsum est in virtutibus intellectus: nec enim ex corpore virtutes colligi possunt.

Verum est tamen quatenus quo aliqua forma est præstantior, eò præstantius magisque dearticulatum est corpus.

AXIOMA CXLVIII.

HOMO est natura animal politicum.

AXIOMA CXLIX.

HOMO homini tyrannus.

Verum est primum, quatenus homo societate indiget, cum vnus sibi ipsi satis esse non possit.

Falsum est quatenus qui solitarii sunt vel sunt similes angelis, vel bestiis, lycanthropi, & mysantrhopi, athei, nefarii.

Item verum est, quatenus homo solus habet orationem per quam potest sua explicare quoad honestatem.

Posterius verum est, sed cum distinctione, quæ magni momenti est.

Tyrannus enim est, qui & iniustè in-

invaſit & iniuſte contra leges gubernat. Si verò iniuſtè quidem invaſit, poſtea tamen volentibus & ſecundum leges imperat, is non eſt tyrannus, ſed potius tyrannus regius. Iam verò ſi iuſtis titulis obtinet imperium, non tamen iuſte gubernet, eſt rex tyrannicus. Ex quibus omnibus patet fermè nullum eſſe hominem qui non ſit aliquo reſpectu tyrannus; & nullum eſſe principem, qui ſit tyrannus abſolutè: niſi Turcam iam excipias.

AXIOMA CL.

SECVNDVM conſuetudinem omnia docenda ſunt.

Verum eſt, quia per notiora docere oportet, ſiue per ea quibus ſumus aſſuefacti. Itaque ſi quis aſſuefactus ſit exemplis, hiſtoriis, teſtimoniis, fabulis, per ea docendus eſt, vt vulgus: ideoque enthymematibus & exemplis oratores utuntur.

Si verò aliquis aſſuefactus ſit rationibus, per rationes doceri debet, ut ſunt homines doctiores. G 3 Fal-

Falsum tamen est si consuetudo mala sit, ideòque per contrariam consuetudinem sumus docendi.

AXIOMA CLI.

SOLVS homo rationalis.

Verum est communiter.

Falsum est Platonicè & antiquis patribus, quibus sunt rationales Angeli.

Falsum est Averroi, quibus etiam animalia bruta discurrere possunt saltem ab vno singulari ad aliud singulare: vt si semel canis baculo verberatus, postea aliam baculum timet.

Falsum est quoad actum: nec enim omnium scientissimi ratiocinantur, vt beati: nec omnium ignari, ut infantes & stulti: sed tantum qui medio se habent modo.

AXIOMA CLII.

NVLLVM violentum est perpetuum.

AXIO-

AXIOMA CLIII.

QVOD ab externo mouetur, violenter mouetur.

Verum est primum; Quemadmodum natura perpetua est si iam violenta perpetua essent, eo ipso iam essent naturalia.

Falsum tamen est si intelligatur non posse perpetuum: ponamus enim esse vacuum certè aqua semper poterit remanere ne effluat imò licet sit naturale aquæ effluere ex dolio aperto metu tamen vacui nunquam effluet.

Nec absolutè verum est id quod ab externo movetur, violentum esse, dummodo conuenienter naturæ moueatur. Sic ignis sub luna à luna perpetuò mouetur: sic cœli ab angelis, nec tamen est motus violentus.

AXIOMA CLIV.

OMNIS res est mobilis ad suam perfectionem, quà habitâ quiescit.

Verum est, quia omnes res extra suum locum, ad suum locum mouentur tanquam ad perfectionem, quo loco obtento quiescunt.

Falsum tamen est si maioris emolumenti causâ aliquid mouetur. Sic enim cœlum perpetuò mouetur non sibi sed pro sublunaribus.

Falsum est, quia habita perfectione non est omnimoda quies, sed perpetuum desiderium perpetuò obtinendi illam quietem.

AXIOMA CLV.

MOTVS vnus est ab vna natura, siue, Natura vna est principium vnius motus.

Verum est in simplicibus. Sic cœlum tantùm circulariter mouetur, ignis tamen sursum.

Falsum est in rebus compositis & mixtis, sic homo variè mouetur.

Falsum est ratione boni communis. Sic enim ne detur vacuum, aqua adscendit.

Fal-

Falsum est ratione superioris. Sic enim ignis propter cœlum superius & tanquam præcipuam mundi partem, mouetur circulariter.

AXIOMA CLXVI.

DIVISIBILITAS est proprietas rerum quantarum.

Verum est quod nulla res in partes realiter distinctas eiusdem naturæ diuidi possit sine quantitate.

Falsum est absolutè; nam anima & corpus sunt partes realiter diuisibiles à se in vicem, nec tamen sunt quantæ.

Falsum est de partibus entitatiuis, nam realiter homo ab homine diuiditur cum est in Petro & Paulo, & hoc sine quantitate, quia alia est entitas hominis in Petro, quâm in Paulo.

AXIOMA CLVII.

CONTRARIA non possunt esse in eodem.

Verum est in summo gradu. Nihil enim esse potest & calidissimum & frigidissimum.

Fal-

Falsum est in gradu remisso. Potest enim aliquid esse simul calidum & simul frigidum.

Falsum est de speciebus intentionalibus rerum contrariarum. In eodem enim speculo potest esse imago rei albæ & rei nigræ.

Falsum est Medicis quibusdam, quibus summus calor & summum frigus est in eodem; non tamen aliquid est summè calidum, aut summè frigidum.

AXIOMA CLVIII.

FINITVM ablatione finiti consumitur, & infinitum ablatione infiniti non consumitur.

Verum est; si enim accipias duodecim uncias aquæ, si unam post aliam auferas, tandem totam absumes.

Verum est quoad infinitum. Potuit enim Deus infinita creare, quibus creatis adhuc infinita creare potest.

Falsum est quoad diuisionem. Si enim lineam diuidas in duas partes æ-

qua-

quales, & sic procedas, nunquam devenies ad ultimum lineæ.

AXIOMA CLIX.

TALE additum tali facit magis tale.

Verum est in aliquo subiecto. Si enim calorem adiungas ligno, facies calidum, & si alium calorem adiungas, facies magis calidum.

Falsum est in abstractis. Ponantur enim tres *calores intra* seſe, non tamen calor erit magis calor. Ponantur duo angeli intra seſe, non tamen erit magis angelus.

Falsum est de negationibus. Si enim una negatio negat, non sequitur, si alia negatio adiungatur, quod magis neget. Sæpe enim duæ negationes faciunt affirmationem.

AXIOMA CLX.

INDIVISIBILE non habet extensionem, & extensum non est indiuisibile.

Verum est; Punctum enim non extendi-


tenditur, & linea diuisibilis est.

Falsum tamen est, quia id quod extensum est, potest esse in vno puncto, & vnum punctum potest esse in vniuerso mundo non aliter quàm Deus in vniuerso est mundo, quamuis maximè indiuisibilis.

Hactenus generalissima vniuersæ Philosophiæ axiomata: per quæ videre licet nihil esse quod non negari possit, affirmari & distingui: & ob hanc causam tot fuisse natas hæreses Theologicas & Philosophicas. Poterit ad mei imitationem quivis cætera axiomata minus generalia prosequi. Sed si Philosophi hæc minutula probauerint. Cribrum Philosophorum dabo, quo omnes qui hactenus contra Aristotelem scripserunt, cribrabuntur.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [160] - 156
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [161] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [162] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [163] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [164] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 1;Leibn. Marg. 1, Stück 4, [165] - -

PUBLIC DOMAIN